




## Sammelliste!

Diss.

- 1) De primariis precibus Imperialibus sine Pontificis indultu validis. R. Gribner.
- 2) De eo quod iustum in foro externo et interno. R. Brückner.
- 3) De dissenſu ſponſalitiſ. R. Strykio.
- 4) De Baptiſmo. R. Lyncker.
- 5) De eo, quod iuſtu eſt circa perſonas diverſe Religionis. R. Lyncker.
- 6) De abſolutione in foro poenitentiſ et contentioſo. R. Simone.
- 7) De luctu. R. Jacob.
- 8) De ſacra Coena. R. Vorſtig.
- 9) De iure Viſitationis Eccleſiaſticae & Procuratoris. R. Zieler.
- 10) De eo, quod iuſtu eſt circa mortuos. R. Zieler.
- 11) De Sigillo Confeſſionis. R. Lvenſtedt.
- 12) De Laici foro eccleſiaſtico. R. Bohn.
- 13) De Crimine Lenocinũ. R. Gerhard.
- 14) Quaſtio? Quis debet eſſe iudex controverſiarum de fide et Religionẽ. R. Veltthem.
- 15) De Delatoribus. R. Hartuno.
- 16) De Purgatione Canonica. R. Beckmann.
- 17) De foro competente & ſubjectione Clericorũ ſub potestate civili. R. Thomafio.
- 18) De Fundamentorũ definiendi cauſas matrimoniales hæterog receptorum inſufficientia. R. Thomafio.
- 19) De iudicio ſeu Censura morum. R. Thomafio.



- 20.) De officio Evangelici Principis circa augenda Salazia et honores  
Ministorum Ecclesiae. R. Thomasio.
- 21.) Problema juridicum, an Heresis sit crimen? R. Thomasio.
- 22.) De Abusu poenitentiae Ecclesiasticae. R. Bode.
- 23.) Sacramentales. R. Simone.
- 24.) De Protectione ab Imperatore Ecclesis utriusq; Religionis in Germania  
aequaliter debita. R. Müdener.
- 25.) De natura Sponsaliorum et Divisione. R. Stryck.
- 26.) De Qualitate et jure Personarum Matrimonium contrahentium. R. Stryck.
- 27.) De Jure Sabbati. R. Stryck. 27.<sup>a</sup> de Origine et Use Juri  
Ecclesiastici. R. Eodem.
- 28.) De Incommodis Fessorum. R. Stryck.
- 29.) De promotionibus per saltum. R. Schneider.
- 30.) De incompatibilitate Juriu signatum officiorum beneficiorum,  
Raf. Bruckner. 30.<sup>a</sup> de Jure Decimarum
- 31.) De Divortijs. R. Zegb.
- 32.) De Canonatibus et Simonia. R. Redeker.
- 33.) De Eunuchi conjugio. R. Delphing.
- 34.) Wahre Nothwendigkeit des Kirchen und Abendmahl  
Besens. von Arnold.
- 35.) De expectativa in casum mortis concessa. R. Zeiser.





DISPVATIO INAVGVRALIS IVRIDICA,  
DE 17  
**FORO COMPETEN-**  
**TE ET SVBIECTIONE**  
**CLERICORVM SVB POTE-**  
**STATE CIVILI,**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSLÆ, MARCHIONE BRANDENBVRGICO,  
ET DVCATVS MAGDEBVRGICI GVBERNATORE,

*Auctoritate atq; consensu in chlyte Facultatis Iuridicæ,*  
PRÆSIDE,

PRO-RECTORE MAGNIFICO,  
**DN. CHRISTIANO THOMASIO, ICTO,**  
POTENTISS. REGIS BORVSSLÆ, AC REVERENDISS. ET SE-  
RENISS. DUCIS SAXO-NUMBURGENSIS CONSILIARIO RESPECTIVE INTI-  
MO, PROF. IUR. ORDIN. ET FAC. IURID. h. t. DECANO,  
**PATRONO SVO SVMMÆ DEVENERANDO,**  
IN ALMA FRIDERICIANA  
**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN VTROQUE IURE HONORES, AC DOCTORALIA PRIVILEGIA  
RITE ADIPISCENDI,

IN AVDITORIO MAIORI  
horis ante- & pro-meridianis d. Iunii M. DCC. IX.  
*placido eruditorum examini submittis*

AVCTOR  
**IOANNES STARCKE,**  
Magdeburgensis.



DISPUTATIO IN IURISPRUDENTIA  
DE

FORO COMPETENTIA  
ET SUBICTIONE  
CIVILIS

AVTORES  
D. PHILIPPO WILHELMO  
PRINCEPS BORSSIAE MARCHIONIS BRANDEBURGICI  
ET DUCIS MAGNIBVS SVEVICAE PROVINCAE


AVTHORITATE ET CONSILIO  
FRASIDIS

PRO RECTORIS MAGNIFICI  
D. CHARL. THOMASII  
POTENTISS. REG. SVEVICAE AC REVERENDISS. ET  
PATRONISS. VICE DECANISS. D.  
PROVINCIAE

EDITIO  
LIVRO  
JOHANNIS STARCKII







## CAPVT I.

DE

# FORO COMPETENTE ET SVBIECTIONE CLERICORVM SVB POTESTATE CIVILI DE- MONSTRATA EX IVRE DIV. NATV- RALI ET POSITIVO.

### SVMMARIA.

**M** Aiestas tam circa Sacra, quam circa secularia negotia versatur §. I. idque probatur (1.) ex sine atque indole ciuitatum. §. II. & IV. (2.) ex natura religionis. §. III. & XI. (3.) ex indole S. Imperii, ac refutatur Ziegleri sententia, Majestatem posse diuidi. §. V. VI. & VII. Simile assertur. §. VIII. probatur vterius (4.) ex incommodis, que e diuisione S. Imperii oriuntur. §. IX. concluditur, de I. Nat. curam Sacrorum pertinere ad S. reipbl. Principem. §. X. idem probatur doctrina & exemplis Christi atque Apostolorum. §. XI. transitus ad specialem huius dissertationis materiam. §. XII. quod Principi etiam competat directio & imperium in clericis, cui subiecta est diuisio sequentium in hoc capite. §. XIII. & XIV. Quid iuris circa constitutionem clericorum Principi com-  
petat? & qua differentia sit inter mandatum, ordinationem, electionem & confirmationem clericorum? §. XV. seq. Cui competat electio clericorum? & quo iure? §. XVI. exempla electionis a Principibus facte adducuntur ex historia S. & profana: culpatur simul abusus huius iuris. §. XVII. ius confirmandi clericos iam electos ab imperio ciuili separari nequit. §. XVIII. illustratur exemplis & testimoniis. §. XIX. & XX. Quatenus clerici imperio ciuili subiecti sint (1.) ratione vite atque morum. §. XXI. -- XXIV. (2.) ratione doctrine. §. XXV. & XXVI. Inde tamen minime fuit, quod Princeps pro lubitu possit doctrinam de cultu diuino ad libidinem suam attemperare. §. XXVII. defenditur Puffendorfius. §. XXIX. Effectus Imperii ciuili in clericos. §. XXIX. & XXX.



## §. I.



Upremi cuiuslibet imperii, recte constituti, eam esse naturam, vt non modo circa profana ac secularia, vti vocant, sed potissimum quoque circa sacra & ecclesiastica occupatum sit, id nemo forte amplius in dubium vocabit, qui sanioribus doctrinis de statu & regimine ciuili paululum modo imbutus est. Non solum enim Ius Naturæ atque Prudentia ciuilis, sed & ipsa S. Scriptura requirit, vt hæc vi Maiestatis competens cura sacrorum Principibus sancta illibataque conseruetur.

§. II. Equidem ciuilis prudentiæ præcepta tradere, in præsentî animus non est, nec instituti ratio illud permittit, nisi quatenus ea in ipsis legibus naturalibus & positiuis, quas mox explicabimus, forsan continentur. Quantum vero ad Ius naturæ attinet, assertio nostra exinde liquido probari potest, præcipit enim illud : Tantam vnique Imperanti potestatem relinquendam esse, quanta ad finem ciuitatis & imperii, felicitatem scilicet atque tranquillitatem reipublicæ, assequendum necessaria est; Finis enim media exigit, & media ad finem obtinendum probe attemperata esse debent.

§. III. Porro suppono, cultum Diuini Numinis causam atque originem esse honestatis, virtutis atque probitatis omnis, itemque morum placidissimorum, quibus tam insigne firmitermentum ciuitatibus accedit, vt propterea Augustinus *de ci. ii. Dei 5. c. 1. 4.* veram ciuitatis felicitatem in eo vnice consistere dicat; *Vt Dei amans sit, & a Deo amata*; contra autem impietatem, tanquam fontem omnium scelerum atque malorum, respublicas non modo labefactare, sed & funditus delere solere: Vnde iterum clarissime patet, quam sollicitè hoc Ius circa sacra cuiuslibet Principi, τὸ κέρσιον in republica exercenti, vindicandum sit,

ne



ne quid mali forte, & tam diuino cultui, quam humanæ societati aduersum, hoc sacrorum prætextu, in ciuitatem irreat ac inducatur; quo pertinent doctrinæ, de fide hæreticis non seruanda, de iusta ac licita interfectione Principis hæretici, & alia Papicolarum commenta, de quibus infra §. XXV. pluribus.

§. IV. Imo ius circa sacra cuiuslibet Principi ex voto & consensu subditorum suorum competit, quum quilibet populus constituen- do Regem, vel Principem, omnia simul in eum contulisse merito censeatur, quæ vilo pacto ad salutem ciuitatis aliquid facere videntur. Scilicet, quia humanum ingenium varium est atque mutabile, proclive ad contradicendum, stupidum præterea & ineptum in nonnullis, vt optima quæuis & facillima media a pessimis & laboribus plenis secernere nesciat, quodque nihil magis auerfatur, quam aliis vltro obsequi & parere; hinc liquido apparet, pacem & vtilitatem publicam, qui veri sunt ciuitatum fines, tam in secularibus, quam ecclesiasticis, nullatenus obtineri posse, nisi stabili quadam vnione facta voluntatum viriumque, omnium in republica viuentium, excepto nemine. Stabilis vero firmaque hæc coniunctio esse nequit, nisi omnes ac singuli a communi quodam imperio ita dependeant, vt propositis pœnis atque præmiis, tam boni, quam mali, possint in officio eo melius contineri, statusque ab internis pariter motibus, ac externis bellis & intusionibus, tranquillus & pacificus conseruari. Puffend. de I. N. & G. lib. 7. cap. 1. §. 4. & 10. seq. cap. 2. §. 5. seq. & cap. 4. per totum. Atqui omnes subditi, cuiuscunque ordinis & conditionis sint, tempore constitutæ reipublicæ voluntates suas ita vni- erunt, seque a summo Principis imperio in rebus ad pacem externam spectantibus dependere, eique in omnibus, quæ pacem hanc conseruant & promouent, obtemporare velle promiserunt. Dico: in rebus ad pacem externam spectantibus, nam de rebus fidei mihi sermo non est.

§. V. Male itaque sentiunt illi, qui summam Principi potestatem circa res & personas ecclesiasticas denegant, eoque maximam præstantissimamque partem Iurium Maiestaticorum illi



eripiunt, quam tamen, saluo Summo Imperio, a reliquis Regalibus nequaquam diuidi posse, contra accuratissimum alias Ictum, Zieglerum *in tr. de Iur. Maiesl. lib. 1. cap. 3. §. 6. seq.* asserere nullus dubito. Maiestas enim est ens morale, quod in se & abstrahendo a materia, vnum quiddam est ac indiuisibile, ita, vt nec partes vllas recipiat, nisi quatenus circa diuersa obiecta occupatum, ac per diuersos actus se se exferens, communiter quoque diuersas partes potentiales habere concipitur; eodem modo, vti anima humana, quæ pro diuersitate organorum, in quibus versatur & operatur, varios quidem effectus producit, indiuisibilis tamen est & manet, quum sit ens vnicum & actiuum, quod in omnibus membris, dum agit, totum existit ac reperitur. Conf. Bosius *in introductione ad notit. rerum pbl. cap. 3. §. 6. in f.* Hinc perquam eleganter ait Grotius *in apolog. cap. 2. Est suarum imperium, quod corone comparari, eaque imagine depingi solet, eius naturæ, vt parte amissa, substantiam suam amittat.* Et Tacitus I, *Annal. 6. Eam conditionem esse imperii, vt non aliter eius ratio constet, quam si vni reddatur.*

§. VI. Neque vero me mouet argumentum a laudato Zieglero in contrarium adductum, *in fin. §. 8. cit. l.*; Quod si idem, inquit, (quod scilicet iam modo de spiritu humano dictum) de Maiestate dicere præsumseris, aut negabis cum Bodino, dari rempublicam mixtam, & experientia conuinceris, aut adstrues, duos dari in eadem ciuitate eodem respectu summos, & in rationem peccabis communem. Prius enim non nego, *dantur eiusmodi respublica mixta*, si stilo Aristotelicorum loqui velis, & in multis ciuitatibus non modo ius circa sacra, sed & alia regalia, vti est ius tributorum, belli, fœderum &c. penes alium, quam Summum Imperantem inueniuntur. Veruntamen si cuiuspiam populo talis diuisio arriserit, eius regiminis forma, non regularis atque perfecta, sicuti falso sibi persuadent Aristotelici, sed irregularis maxime & morbida erit, in qua omnia cœpta & negotia sat infelici auspicio plerumque peraguntur. Quod S. Codex innuit

hifce



hisce verbis: *Regnum in se diuisum, dissipabitur.* Conf. Pufend. *cit. opere de I. N. & G. lib. 7. cap. 4. §. II. - 14.* Illustr. Dn. Præses in *Iurispr. diu. lib. 3. cap. 6. §. 35. 36. 38. 40. 59. 60.* Eiusmodi vero respubli-  
cæ irregulares nouam regulam non conficiunt, sed potius, tan-  
quam exceptiones, firmant priorem. Quodsi tandem & poste-  
rius concederem, *dari scil. in eiusmodi ciuitate duos eodem respectu*  
*summos*, non errarem fortasse, nec est, quod metuum, ne propte-  
rea in communem rationem impingam. Ipsæ enim respubli-  
cæ mixtæ contra communem rationem & indolem ciuitatum  
institutæ sunt, ac proinde, dum in iis vno plures suo iure rega-  
lia exercent, dentur quoque in illis plura summa capita, i.e. quæ  
intuitu suæ administrationis nemini rationes reddere teneantur,  
nécessè est. Nam summa potestas, τὸ μέγιστον ἀνευρετόν dictum  
ab Aristotele 4. *Polit. 10.*, vocatur illa, cuius actus alterius iuri  
non subsunt, ita, vt alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti  
possint reddi. Grot. *de I. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 7.* Itaque quod vi-  
tio ipsius rei accidit, culpæ meæ non poterit annumerari.

§. VII. Longe vero secus se res habet, si de regulari atque  
ordinaria forma ciuitatum omnis, vti hic, dissertatio instituta  
est. In illa enim, si quid ex voto procedere debet, omnia quo-  
que & consilia & leges debent, vel ab vnus hominis arbitrio,  
vel a decreto vnus concilii, tanquam ab vna anima, torum cor-  
pus viuificant, dependere & proficisci, omnesque omnino &  
singuli communi imperio regi. Adeoque non est consentane-  
um, Summum esse in ciuitate, & tamen vel in eadem habere æqua-  
les, qui legibus status politici plane non obnoxii, sed liberi sint  
ab omni politia & disciplina seculari, nullo fidelitatis vinculo  
erga Principem, neque obedientia erga magistratus adstricti,  
vel extra eandem certo modo superiorem agnoscere debere, qui  
actus in securitatem reipubl. susceptos auctoritate atque dissen-  
su suo irritos reddere, vel omnino subditos a iuramento subie-  
ctionis absoluere possit. Spectat huc illud Tertulliani, quod  
Grotius refert in *tr. de Imp. Sum. potest. circa sacra cap. 1. §. 3. Ea est*  
*summi conditio, vt nihil illud adæquet, ne dum superet.* §. VIII.



§. VIII. Hi igitur, qui aliud statuunt, fimiles mihi videntur Philosophis illis, qui extra impositionem diuinam sibi quandam opinionis errore fingunt æternam moralitatis actionum humanarum regulam, ac dum illud faciunt, nihil aliud moliuntur, quam vt sanctissimæ voluntati diuinæ coæternum aliquod principium extrinsecus adiungant, quod Deus in formandis rebus entibusque sequi quasi necessum habuerit, de quibus pluribus Illustr. Dn. Præses in *Turispr. diu. lib. 1. cap. 1. §. 31. & dissert. præem. §. 39. Puffend. de I. N. & G. lib. 2. c. 1. §. 3. lib. 1. cap. 2. §. 6. it. in specim. controu. cap. 5. nec non celeberrimus Ictus Dn. Ludouici in hist. Tur. natur. §. 60. 68. seq.*

§. IX. Quæ cuncta licet ita sint in promptu, vt a quolibet, sana ratione prædito, facillime & aduerti, & intelligi possint; nihilo tamen minus dantur eiusmodi homines, qui sacro quodam obtentu clericos a lCtione seculari eximunt, causasque ecclesiasticas laicorum cognitione superiores esse, autumant. Hi certe, dum eos alii subiciunt, totum non dico societatis civilis, sed humanæ penitus vinculum tollunt. Id quod partim per indirectum contingit, dum illi parum respicientes ad commune bonum & imperium, sed alium, qui extra hanc rempublicam est, sequentes, pro arbitrio eius & concessione multa sibi sumunt, & seorsim constituunt, quibus & amplificare commoda, & splendorem ordinis sui se posse augere existimant, quantumuis ceterum illa perniciosa reipublicæ, & valde noxia cum tempore futura esse appareant; partim etiam, confisi nimium licentia & impunitate sua, consulto & cogitato suscipiunt multa, vel aperta vi, vel clanculum, in perniciem & imperii & ciuitatis, populum scil. in partes trahendo, turbas & seditiones falsis persuasionibus, ac specioso religionis nomine concitando, & reliqua, ex quibus tandem certissima bella intestina, infinitæ calamitates & euerfiones rerumpublicarum, cum exitio atque discrimine totius humani generis coniunctæ, oriuntur. Qualia tristissima facta, proh dolor! Germania nostra, temporibus Henricorum, haud semel cum maximo suo detrimento experta est.

§. X.



§. X. Quodsi igitur hæc disiunctio atque discisio summi imperii tantas turbas, tantosque motus, in republica excitare valet, merito inde concludo; naturaliter omnium rerum & negotiorum, tam secularium, quam imprimis sacrorum, supremam administrationem vnice & sanctissime penes summum imperantem conseruandam esse. Atque hæc ita hæctenus ex rationis lumine adduxisse sufficiat.

§. XI. Tantum vero abest, vt indoles & finis ciuitatum, de quo modo diximus, a natura religionis in genere, vel in specie etiam religionis Christianæ discrepet, vt eundem potius religio promoueat, & ad obrinendum eum viam faciliorem reddat, dum commodos ad parendum mores efficit, & hominum quorumcunque animos ita componit, vt lubenter ea, quæ Dei sunt, Deo tribuant, quæ vero Cæsari debentur, Cæsari quoque relinquunt. Ipse Saluator noster Iesus Christus, a quo misi sunt veræ ecclesiæ ministri, in terris hisce non gessit personam Principis, vti nec Apostoli eius, & reliqui Episcopi, qui primis ecclesiæ temporibus vixerunt, sed Magistri saltem & Doctores. Imo sæpe expresse monuit Christus discipulos suos, ne imperium quoddam humanum temere affectent, minus enim conuenire officio illorum, Regio more dominari & beneficos appellari. *Matth. 20. v. 20. seq.* Obseruauit hoc monitum Christi primitiua ecclesia, vbi & docentes & auditores imperio infidelium Regum & Imperatorum sponte se subiecerunt, & hinc Augustana confessio optime pronunciat: *Euangelium non abolet politias.* Conf. Puffend. in *tr. de habitu Christ. relig. ad vitam ciuil.* §. 13 *seq.*

§. XII. Atque hæc quidem generatim de potestate summorum imperantium circa sacra altius paululum repetenda duxi, quo hisce positis fundamentis, reliqua, quæ de imperio ciuili in personas, seu administratores sacrorum, tanquam de parte eius nobilissima, & exinde fluente foro competente clericorum, dicturus sum, eo firmiter possint superstrui.

§. XIII. Scilicet officium summi Principis in eo consistit,



vt tranquillitatem publicam, tanquam summum bonum politicum inter ciues reipublicæ suæ conseruare studeat, ergo etiam necessario potestas ipsi competere debet, vt quoslibet, qui eam tranquillitatem turbant, condignis pœnis coërcere & ad iusta redigere queat. Turbatur vero tranquillitas non solum intuitu controuersiarum ciuiliū, sed ecclesiasticarum quoque, & quæ religionem concernunt, vti historię testantur. Si qua enim vniquam perturbatio societatis, ac confusio boni ordinis intuitu sacrorum orta est, id si non omne, quoad maximam tamen partem prouenit a perueris ecclesiarum ministris, prout hi, vel superstitioso quodam ducti errore, vel agitati cupiditatibus suis, imperitam plebis multitudinem, imo & prudentiores nunquam, vel spe atque promissione vitæ & felicitatis futuræ, vel metu atque terrore æternæ vindictæ diuinæ, hanc vitam exipientis, in varias, vti libuerit, partes deduxerint, & ad nefarias funestissimasque seditiones contra Principem iuste & legitime imperantem inflamauerint.

§. XIV. Conuenit itaque summo imperio prouidere, ne turbulenti, ambitiosi, auari, vel nimium superstitiosi, aut genio suo indulgentes homines ad officia sacra admoueantur: quique iis iam admoti sunt, ne hi vel impia, & communem pacem turbantia dogmata friuole disseminent, vel turpi vita & corruptis moribus suis plus noceant, quam ædificent, quum secundum Augustinum, *plus valeat in pastoribus viuendi, quam loquendi modus.* Vt res clarius pateat, distincte procedemus, & primum, quid circa constitutionem; tum, quid circa vitam, actiones & doctrinam; post denique, quid circa coërcitionem ac remotionem clericorum Princeps iuris habeat, iam vltterius dispiciemus.

§. XV. Quod igitur ad primum nostræ diuisionis membrum, constitutionem scil. ministrorum ecclesiæ attinet, quatuor hic bene distinguenta esse, putat Grotius *in vr. de J. S. P. circa sacra cap. 10. §. 2.* mandatum, ordinationem, electionem & confirmationem clericorum. Per *mandatum* intelligit facultatem diui-



diuinitus concessam prædicandi, Sacramenta & clauis administrandi, quæ facultas a solo Deo dependet. *Ordinationem* vocat applicationem huius facultatis ad certam personam, quæ regulariter manuum impositione clericorum fieri solet, & primæua Apostolorum & ecclesiæ consuetudine introducta est, postea vero, tanquam pia cerimonia, ad nostra vsque tempora remansit. *Electionem* porro, personæ ad certum coetum & locum applicationem nominat: ac vltimo *confirmationem* tunc accessisse, inquit, quando talis persona publico consensu & præsidio ministerium suum exercet, quod vnice summæ reipublicæ potestati acceptum ferendum. Atque hæc duæ posteriores species proprie huius loci sunt.

§. XVI. De *electione* quidem valde adhuc disputant Doctores, vtrum illa ecclesiæ, seu, toti coetui, an vero Principi, & ex huius concessione Patrono, aut Episcopo siue ministerio loci adscribenda sit? item, Quo iure, vtrum mutabili humano, an immutabili diuino naturali seu positiuo competat? Ego cum Grotio ita arbitror, maxime conuenire naturali rationi, sicuti multi vectores ius habent eligendi gubernatorem nauis, viatores itineris ducem, populus liber Regem, ac Collegium Præsidentem siue Magistrum; ita quoque ecclesiam sibi pastorem optare posse, quum vnique coetui naturaliter permissum censeatur, ea sibi procurare, quæ ad conseruationem sui necessaria iudicet; in quo numero quoque functionum applicatio est. Conf. Blondell. *de iure pleb. in regim. eccl.* Ceterum, quia hoc iuris tantum permissiuum est, neque Princeps, siue, legislator ab officiorum horum ecclesiasticorum institutione, ac distributione in S. Codice vllibi prohibitus, hinc sane nullum est dubium, quin & saluo tamen iure *δομναστίας* populo relicto, vt eas, quas recusandi causas habeant, publice possint exponere, Principes sibi solis illud ius eligendi pastores ob iustissimas & reipublicæ proficuas causas arrogare possint. *Sape enim, inquit Grotius de I. S. P. circa sacra c. 10. §. 15., errores in ecclesiam contra Dei verbum innecti aliter euellunt.*



queunt. Sape schismata canendi alia non est ratio, saepe cleri suffragia factionibus, popularis electio seditionibus perturbatur; cuius rei plurima extant exempla, etiam ab auro puriore: Adde iam postremo loco, quod ea interdum sint tempora, ut ne regnum quidem retineri possit, nisi curet Rex, ut fidelissimos sibi, atque obsequentissimos pastores habeat; Germani sane Imperatores grauisimas dedere pœnas huius iuris abdicati, quod omnes testantur historia. Conf. Conring. de Constit. Episc. th. 46. & Illustr. Dn. Præses in Vindic. Iur. Maiestat. circa sacra, aduersus auctor. simpl. consil. quom. eccles. Protestant. sint unienda, passim.

§. XVII. Ita non solum in V. Testamento David, Salomon, aliique Reges, Regio Iure munia inter Sacerdotes Leuitasque dispersiti sunt, 2. Chron. 29. 25. 1. Chron. 23. 24. 25. 2. Chron. 8. 15. Nehem. 12. & Iosaphat nominatim quosdam ad docendum elegit ac misit ad ciuitates Iudæ, 2. Chron. 17. 8. 9.: Sed & post tempora Constantini Magni, Imperatores ac Reges Christiani ius eligendi ac instituenti Episcopos, aliosque clericos minores, nullo neque cleri, neque plebis suffragio requisito, sibi solis referuasse, vbique fere in historiis relatum legimus. Lehman. in Chron. Spir. lib. 2. cap. 41. Conring. de Constit. Episc. Germ. th. 39. Interim tamen cum Brunnemanno abusum illum, atque modum, vituperio dignum, improbo, quo inuitis aliquando auditoribus Doctor, cuius nullus amor, nullaque æstimatio est, obtruditur, parum enim ille proderit ecclesiæ. vid. Brunnem. in I. Eccl. lib. 1. cap. 5. §. 5. Hoc ius enim vocandi pastores ad Principem non eodem modo spectat, quo ius constituendi reliquos ministros atque magistratus; quum non sint proprie publici officiales Regis, sed sint serui Christi, & ministri ecclesiæ, non ciuitatis, sunt verba Pufendorffii in tr. de Hab. Christ. relig. ad Vir. ciuil. §. 45.

§. XIX. Ex dictis liquet, ius eligendi ministros non quidem absoluta legis necessitate, sed vtilitatis causa ab Imperantibus exerceri, quo eo melius & regni & ecclesiæ statum moderari atque tueri possint. Quod vero ius confirmandi, aut reprobandi electos attinet, si hi forte inepti atque indidonei ad munus sacrum videantur, hoc nullo modo ab imperio ciuili separari



parari posse videtur: prohibere enim sic facillime dissensu suo potest Princeps, ne vitiosi per ambitum ac largitionem, vel inertes ac imprudentes iuvenes ad sacra illa officia perueniant; alias vero hoc casu illud Ennii vsu venire posset; *Cedo, qui vestram rempublicam tantam amissis tam cito? Proueniebant oratores noui, stulti, adolescentuli.* Scilicet, illud ius confirmandi clericos, tanquam pars Maiestatis, siue, supremæ in republica potestatis, iuri sacorum, vt toti suo, adeo firmiter cohæret, vt ab illo citra læsionem & corruptionem imperii & ciuitatis neque auelli, neque citra quandam absurditatis notam separari queat. Hinc Francisc. Duarenus ait *lib. 1. de S. Eccl. minist. cap. 6. Illud vnum vere, ingenueque dico, nihil reipubl. ecclesiæque Gallicæ mihi videri vitiosus, quam auctoritate Regis pastores præfici ecclesiis, &c.*

§. XIX. Hanc ob causam nec diuersæ religionis Principi illud denegatum fuisse videmus, sed & Turcarum Imperator Patriarcham Constantinopolitanum confirmat. Crusius *lib. 3. Turco-Græcia.* Imperatores etiam Romani, Orientales & Occidentales, vt & Reges Francorum, Longobardorum, Hispaniæ & Hungariæ hanc potestatem liberrime olim exercuerunt, ita vt Imperatores etiam Pontificem Romanum, vsque ad Henricos IV. & V., pro lubitu constituèrunt atque confirmauerunt, de qua materia additissimus ille sedis Pontificiæ Onuphrius Pamphinius in vita Hildebrandi ita scribit: *Imperator non solum Episcopatus omnes & Abbatis, minoraque omnia sacerdotia, vt Prabendas, Canonicatus, Præposituras, Decanatus & huiusmodi conferebat; sed etiam Romanum ipsum Pontificem designabat.* Et iterum, quum multis enarrasset, quo modo Imperator omnes dignitates ecclesiasticas conferret, addit porro: *Hoc autem per Galliam, Germaniam & Italiam, qua tunc Latinus Orbis dicebatur, vsurpari mos erat, Cuius exemplo ceteri quoque Reges, vt Hispaniæ, Francorum, Hungariæ & eiusmodi imitati sunt.* Hanc autem consuetudinem quum omnes, vt dixi, Latini Orbis ecclesiæ, tum sæpe & diu in multis suorum Pontificum electionibus seruauit Romana Ecclesiæ: & præsertim in Ioannis XIII. Gregorii



*V. Syluestri, Clementis, Damasi, Victoris, Nicolaique, Pontificum electionibus; qui omnes Othonis I. & III. Henrici quoque III. & IV. sententia Romani Pontifices, sine cleri Romani suffragiis lecti, & ab iisdem Imperatoribus per anulum & virgam de Papatu Romano inuestiti fuerant.*

§. XX. Egregius hanc in rem locus extat in Monzambani libro de statu Imperii Roman. cap. 3. §. 6. vbi omnia, quæ de iure & facto circa hanc materiam dici possunt, paucis complectitur, quem locum adeo non pigebit huc verbotenus transcribere: *Constat igitur, ab initio rei Christiana eos, qui Episcopi vocantur, a reliquo clero & populo fidelium fuisse electos & constitutos. Post, circa seculum quartum, quum etiam Principes Christo nomina dare inciperent, passim inualuit consuetudo, ut, qui reipublica summa cum auctoritate præessent, non temere patrentur aliquem ad Episcopatum aspirare, nisi accedente suo consensu. Scilicet quum intelligerent, quantum ad tranquillitatem reipublica faceret, bonos & pacificos viros sacra tractare. Atque idem ius etiam exercere Reges Francorum, ut ii in suo regno essent Episcopi, quos ipsi suo suffragio constituissent. Et eandem potestatem usurparunt Imperatores Germanici, usque ad Henricum IV., quem Gregorius VII. & successores ob eam causam miris modis exagitarunt. Donec tandem tot turbis fessus ipsius filius Henricus V., anno 1122, in Comitibus Wormatiensibus, renunciauit iuri Episcopos constituendi & inuestiendi, id quod olim fiebat annulo & baculo; Imperatori remansit potestas electo Episcopo conferendi regalia & feuda Imperii, adhibito ritu tradendi sceperi. Quo ipso quantum detrimenti res Imperatoris ceperint, nemo non perspicit. Conf. Puffend. Einleitung zur Historie cap. 12, in fin. §. 20. cum toto seq. §. 21.*

§. XXI. Hæc de constitutione ministrorum ecclesiæ. Non minor vero debet Principum cura esse in regendis illis, qui iam constituti sunt. Illa autem cura, quamuis fatis late se extendat, ad duo tamen capita commode potest reuocari, quæ ex Iustiniæ Imperatoris effato, quod in principio Nouellæ VI. extat, appa-  
rebunt: Nos maximam habemus sollicitudinem 1. circa vera Dei dogmata, & 2. circa sacerdotum honestatem. Nam decet præcipue sum-  
mum



num Imperantem diligentissime inquirere, cum in doctrinam, tum in mores, vitia atque virtutes illorum, qui eximia quadam integritate, modestia & sanctitate vitæ eminere, ac gregi suo conspicuo debent esse exemplo. Ita enim in ipso Concilio Tridentino *Sess. 22. de reform. cap. 1.* legimus statutum; *Nihil est, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt. Quum enim a rebus seculi in altiore locum sublatis conspiciantur, in eos, tanquam speculum, reliqui oculos coniciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet clericos componere vitam, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.*

§. XXII. Quod si igitur hi minus virtuosi & inquinati criminibus fuerint, metuendum non immerito, ne ciues moribus etiam fieri deteriores, & per consequens respublica minus beata, quæ tamen vt tranquilla & felix semper existat, Principi in primis curæ cordiq; esse debet. Et hoc conuenit tam rationi, quã voluntati diuinæ, quam nobis Dei Apostolus explicat, dum propterea institutos Reges, ait, vt vitam quietam ciues in omni honestate & pietate degere possent. Principis itaque officium est, bonos probosque quoslibet, tam clericos, quam laicos, protegere atque defendere; malos vero reprehendere, castigare atque punire, vt tum ipsi a vitiis atque malitia in posterum desistant, ac meliorem vitæ rationem ineant, tum reliqui periculum ex illis faciant, ac inde sapere discant. Quem in finem alibi Apostolus Paulus Magistratum vocat *ministrum Dei*, quæ non frustra gladium gerit, sed tanquam vindex, in NB. *Omnes (sine exceptione) male agentes. Rom. 13. v. 4.*

§. XXIII. Hæc vero quum absque vi & iurisdictione exsequi non semper possit Princeps; sequitur inde, tam naturali iure, quam reuelato diuino, ministros etiam verbi diuini humano imperio subiectos esse. Id quod clarius adhuc patefcet *ex cap. 13. v. 1. Epist. Pauli ad Rom. Qualibet anima (πᾶσα ψυχή) potestatem habentibus subiecta sit: nam nullus est magistratus, nisi a Deo; & 1. Pet. 2. v. 13. & 14.*

Cui-



*Cuilibet humano imperio obedite, tam Regi, quam Praefectis eius, idque Domini causa, ad vindictam malorum & virtutis laudem. Ad priorem locum Chrysoftomus ita commentatus est, referente Zieglero ad Lancellott. pag. 653. Omnibus haec praecipi, sacerdotibus & monachis, non tantum secularibus, statim in ipso proemio declarat Apostolus, quum sic dicat, omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto, & si Apostolus siue Euangelista, siue Propheta, siue quisquis tandem fuerit, neque enim potestatem subuertit ista subiectio. Idem etiam Christus & Apostoli eius, prout iam supra ex parte monuimus, re ipsa corroborarunt; Christus enim ad euitandum omne scandalum vetigal pro se & discipulis suis solui iussit, Matth. 17. v. 27. Paulus vero prouocauit ad Caesarem in causis fidem & doctrinam concernentibus. vid. Act. Apostol. cap. 25. v. 10. non quidem eo animo, vt Caesari potestatem de rebus fidei pro arbitrio statuendi assereret; sed vt Caesar de quaestione facti cognosceret, vtrum Apostolus contra fidei Iudaicae dogmata peccauerit, an non?*

§. XXIV. Ergo, quum neque diuinæ litteræ, neque dictamen rectæ rationis, neque indoles vel finis rerum publicarum permittant, vt quis minister ecclesiæ, quatenus simul membrum ciuitatis est, liber atque exemptus a potestate ciuili in republica viuat; iure meritoque existimo, ecclesiæ ministros æque, ac alios ciues, imperii legibus obligari, tam ciuilibus, quam ecclesiasticis, & porro si contra leges quid admiserint, vel si negligentes in munere suo obeundo fuerint coerceri atque puniri eos posse. Hinc in l. 10. C. de LL. & Constit. Princ. dicitur: *Omnes legibus regantur, etiamsi ad diuinam domum pertineant. Vbi igitur aliud est receptum, ibi id tantummodo beneficio & nimia Principum indulgentia obtinere, manifestum est. vid. Brun. in l. Ercl. l. 1. c. 2. §. 3. 4. & seq. Grot. de I. S. P. circa S. cap. 9. §. 17. in quo §. locum ex Politia Anglicana, apprime huc facientem, allegauit: Ecclesiastica Iurisdictio plane Regia est, coronæ & dignitatis vestra Regia prima, praecipua, indiuisibilis pars: Ecclesiasticae leges Regis leges sunt, neque alibi oriuntur, neque alium te sustentantur aut fulciuntur: penes ecclesiasticos iudices per Archi-Episcopos & Episcopos deriuata a Regia potestate Iurisdictio Ecclesiastica consistit.*

§. XXV.



§. XXV. Quamcunque vero curam & sollicitudinem Princeps in regenda & administranda republica sua adhibeat, nulla tamen consilia ipsi feliciter succedent, nisi & vndequaque bene circumspiciat, ne Doctores illi ecclesiarum, sub specie religionis & articulorum fidei, falsa atque pestilentissima dogmata, tam veræ pietati, quam tranquillitati publicæ aduersa atque contraria, diuulgent, & in scholis atque ecclesiis introducant. Qualia sunt; hæreticis non esse seruandam fidem; Principem hæreticum impune posse occidi; in sacerdotes summo imperio ciuili nullam esse potestatem; Papam posse instituere, & folio deiicere Reges; item, doctrinæ Iesuitarum de reseruationibus mentalibus, & Anabaptistarum de non tolerando magistratu ciuili; innumeralesque aliæ, quæ vel iam inuentæ sunt, vel adhuc quotidie a prauis mortalibus excogitantur, & ad posteros propagantur.

§. XXVI. Qua propter non spernendum illud Hobbessii de Ciue c. 13. §. 8. Sunt libri scripti a Romanis ciuibus florente Democratia, aut recens extincta, nec non a Grecis florente republica Atheniensi, tum preceptorum, tum exemplorum pleni, quibus ingenium vulgi Regibus suis infestum redditur, idque ob nullam aliam causam, quam quod ab hominibus perfidis perpetrata flagitia in illis libris laudari vident, uimirum regicidia, si modo Reges, antequam occidunt, tyrannos vocent. Verum ingenium vulgi corrumpitur adhuc magis a lectione librorum, & auditione concionantium eorum, qui regnum in regno, ecclesiasticum in ciuili esse volunt. Hinc enim pro Cassis & Brutis oriuntur Ranaalliaci & Clementes, qui quum Reges suos occidendo ambitioni inseruirent alienæ, Deo se seruire arbitrabantur. Ita de eadem re Puffendorffius differit de O. H. ac C. lib. 2. c. 7. §. 8. Quum singulorum actiones a sua cuiusque opinione regantur; plerique autem de rebus ita soleant iudicare, prout assueuerunt, & prout communiter iudicari vident; paucissimi proprio ingenio vera & honesta dispicere queant: inde ciuitati expedit, ut publice eiusmodi doctrinis personet, quæ cum recto fine & usu ciuitatum congruunt, simulque animi ciuium a puero istis imbuantur. Eiusmodi igitur doctrinas qui publice doceant, summi imperii est constituere.

C

§. XXVII.



§. XXVII. Minime vero illud tam crude explicandum, ac si Principi liceat cultum Dei ad vsum ciuitatis, aut regulas politicas formare, quo nomine quondam Puffendorffius a Iosia Schwartzio, grauius quidem, sed falso inculatus est. Eiusmodi enim religionis mercimonium, quod ex recentioribus approbasse vulgo creditur Machiauellus, in profanis ethnicorum Regibus prudentia videri posset, vt & propterea Numa Pompilius cum Aegeria Nympha se arcanos congressus, Lycurgus vero & Scipio Africanus cum Apolline, aliisque Diis, Deabusue, mutua colloquia habuisse olim iactati sunt: *Christianos autem Principes ea decet sententia, amorem & timorem Dei O. Max. felicissimam esse gubernandi populos artem, neque sine ultimo scelere, nomine diuino abuti licere, ad tegendas ambitionis & auaritie nefarias artes.* Forstnerus ad Tacit. pag. m. 69. Et iterum pag. 161. *Omni scelere maior improbitas est, religione non alio sine vii, quam regnandi instrumento.*

§. XXIIIX. Tam impiam autem sententiam citato Puffendorffio, omni laude dignissimo, nunquam in mentem venisse, constat ex eius *lib. 7. cap. 4. §. 8. de I. N. & G. ex Apolog. §. 6. it. ex examine doctrin. cap. 6.* Vbi vberime declarat, se non agere de religione, quatenus credenda tradit, nec statuere, Principem posse contra reuelatam Dei voluntatem nonnulla præscribere, aut religionem ad arbitrium suum accomodare; sed se agere tantum de falsis doctrinis *ethicis & politicis*, quæ sub specie religionis alicubi obtruduntur, & ad exitiabiles morbos in republica producendos aptæ sunt. *Cultus vero Dei*, inquit in §. 6. *sua Apologia, præse consideratus ex altiore principio est deriuandus. Sed hoc dico: Nulla dogmata moralia, qualia omnem fere religionem comitantur, contra ius naturale & sanam politicam pugnantia, sub specie religionis obtrusa, in ciuitate esse toleranda.* Recte igitur harum doctrinarum examen, & proscribendi eas potestas, Imperio ciuili tribuitur, idque absque vilo periculo veritatis aut iustitiæ, quum nulla vera doctrina paci per se sit contraria; quæ vero illi repugnat, vera atque sana eo ipso esse desinit, nisi etiam pacem & concordiam



am dictamini rationis ac voluntati diuinæ repugnantem dicamus.

§. XXIX. Vti vero vana sine viribus voluntas, ita quoque propter prauitatem humani ingenii, quod in vetita semper nititur, & imperio reluctatur, leges superuacuas videntur, nisi legislatori potestas competat, malum aliquod representandiac infligendi illis, qui contra tendere amant. Hinc & jurisprudentes duas perfectæ legis partes esse statuunt, vim scilicet directiuam & coactiuam, seu sanctionem pœnalem, quam tamen vtramque in legislatore, cui & custodia & executio legum commissa est, coniunctam esse oportet. Principi igitur circa sacra non solum omnium administratio, & facultas in vtilitatem reipublicæ dirigendi actiones clericorum per promulgatas leges, sed plenissimum imperium in quoscunque competit, quod facultatem coercendi immorigeros ac segnes utique comprehendit, quum concessio iure, media quoque hoc ius tuendi concessa simul censeridebeant. Parisiensis verba de eo sunt hæc in *tr. de potest. Reg. & Pap. c. 21. Licitum est Principi, ab usum gladii spiritualis repellere eo modo, quo potest, etiam per gladium materiale, precipue, vbi usus gladii spiritualis vergit in malum reipubl., cuius cura Regi incumbit, aliter enim gladium sine causa portat.* Neque duntaxat hoc poterit summa Potestas per modum pœnæ, sed etiam per modum cautionis, puta si pastor a plebe rapiatur in materiam tumultus, quod forte sine crimine eius accidere potest; nisi enim hoc non posset summa potestas, reipubl. ad tuendam securitatem suam sibi non esset *avordens.* Grot. de *I. S. P. circa sacra cap. 10. §. 33.* Conf. Ziegl. de *Iur. Maj. lib. 1. c. 18. §. 5.*

§. XXX. Quales autem pœnæ singulis casibus sumendæ sint, neque Ius Naturæ, neque S. Scriptura determinant, sed definiendas illas humanæ potestati relinquunt, ut pro leuitate aut gravitate delictorum, Princeps possit reos, iudicio arbitrioque suo, vel ad tempus, vel in perpetuum, ab officio suspendere, vel carceri mancipare, aut multa afficere, aut omnino denique capite



pite plectere, de quibus hic fusius agendi locus non est.

## CAPVT II.

DE

### FORO COMPETENTE ET SVBIECTIONE CLERICORVM SVB POTESTATE CIVILI, NON ADMISSA IN IVRE CANONICO.

#### SVMMARIA.

**C**onnexio huius cum precedenti capite  
§. 1. Differentia Iur. Can. a Iure  
Diu. in presenti materia, quod scil. Ius  
Can. in vna eademque ciuitate duo S.  
Imperia admittat. §. II. quodque imperi-  
um ecclesiasticum superius sit civili, eius-  
que ratio. §. III. Idem approbatum in  
J. Sax. §. IV. ex quibus colligitur, Ius  
Canonicum Iuri Diu. in eo aduersari;  
& subiicitur dispositio huius capituli. §.  
V. De charitatis iudicio primitiua ec-  
clesiæ §. VI. Non improbavit D. Paulus  
magistratum civilem, sed commendauit  
saltem amicabilem compositionem, §.  
VII. quam primis temporibus etiam ser-  
uauit ecclesiæ, §. VIII. De origine Au-  
dientie Episcopalis. §. IX. X. & XI. De  
origine atque incrementis imperii Papa-  
palis. §. XII. & XIII. De tyrannide  
Hilibrandi VII. Pape, aliorumque Pon-  
tificum. §. XIV. -- XVI. De fraudibus  
& machinationibus Pontificum, quibus  
sibi imperium compararunt. §. XVI. &  
XVII. Recensentur principia Iur. Can.  
ad firmandum Papale regimen adapta-  
ta. §. XIX. Conclusiones inde eliciun-  
tur, precipue vero illa, quod Papa, tan-  
quam S. Legislator totius terrarum or-  
bis, legibus suis clericos a ciu. potestate  
exemerit. §. XIX. & XXI. Papa sub  
nomine serui seruorum dominus domi-  
nantium esse cupit. §. XX.

#### §. I.

**P**erspecto itaque tam naturali, quam positiuo diuino iure,  
quibus vnica tantum datur in qualibet republica Summa  
Potestas, cui omnes in ciuitate existentes, siue clerici  
sint, siue aliæ personæ seculares, subesse, eique non modo, sed &  
inferiori magistratui, a S. imperio constituto, parere atque obe-  
dire



dire tenentur; vltcrius iam inuestigandum erit, in quantum illi iuri decreta Conciliorum atque Pontificum, quæ nobis in corpore Iuris Canon. exhibentur, vel conueniant, vel ab eo discrepent.

§. II. Magnum autem inter hoc & dicta iura diuina versari discrimen deprehendimus, dum Ius Can. valde in eo a vero iusti, rectæque rationis, ac voluntatis diuinæ tramite recessit, quod ministros verbi diuini vna cum familiis suis a seculari Ictione eximat, per *cap. 12. X. de for. compet.* eoque duplex in vna ciuitate Summum Imperium, & Ciuile & Ecclesiasticum, introducat, vid. §. 5. cum seq. capit. 1. it. can. 10. dist. 96. & Lancell. in *Institut. Iur. Can.* qui hanc duplicem potestatem ita exponit, *lib. 3. tit. 1. §. 2.* -- *duo autem sunt, inquit, quibus principaliter orbis regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Imperialis ac Regia potestas. Vnde, sicut ciuiliū legum non nisi ciuili debet esse executor, ita etiam ecclesiasticarum ecclesiasticus iudex est administrator.* Atque hic quidem satis adhuc modeste.

§. III. Alii Pontificiorum videntur esse paulo impudentiores; non enim contenti sunt hac nuda exemptione ac liberatione clericorum a iudicio ciuili, sed inaudito atque intolerabili quodam fastu adstruere haud verentur: Duas non modo inueniri summas in qualibet republica potestates, Ecclesiasticam scil. & Laicam, sed hanc quoque *eminenter & virtualiter* contineri in illa ecclesiastica, & sicut aurum superat plumbum, *dicunt*, altitudine suæ quidditatis seu essentiæ, ita potestatem ecclesiasticam superare mere laicam sua essentia & eminentia, & eminenter continere illam; sicuti etiam anima dominatur corpori, ita ecclesiam dominari debere politiæ. Bellarm. *c. 6. l. 5. de Roman. Pontific.* Conf. Ziegler. *ad Lancell. lib. 3. cap. 1. §. 2. ad verba: Duo enim sunt.* Nec ipsum pudet Innocentium III. Papam huic sententiæ suffragari in *Cap. 6. X. de maior. & obediens.* *Sed Pontifex in spiritualibus antecellit; que tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori.* Idemque rationem huius regiminis Papalis addendo in eodem cap. ita pergit: *Fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli; luminare maius, ut præset diei, & luminare minus, ut præset nocti:*



*utrumque magnum, sed alterum maius: Ad firmamentum igitur cæli, hoc est, vniuersalis ecclesie, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regia potestas. Sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, maior est, quæ vero carnalibus, minor: ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.*

§. IV. Vetusius Saxonicum eodem modo diuifit S. Imperium, & vocauit hancce duplicem potestatem duos gladios, quorum alter ad Pontificem, alter vero ad Imperatorem pertinere. vid. Spec. Saxon. lib. I. art. I. Nec mirum illud, quum compilator eius Pontificiæ doctrinæ addictus, ac præceptis institutisque Iuris Papalis edoctus, multa, quæ in Iure Can. reperiuntur, huic Speculo inferuerit. Quare dubitandum non est, quin ex eodem fonte hanc hauserit diuisionem, præsertim vero apparebit illud, si *Extrauag. commun. Vnum sanctam.* inspiciamus: *In hac eiusque potestate duos esse gladios &c. & glossam in cap. Venerabilem. de Elect.* ad verba: *superiorem. Papa est super omnes & consequenter etiam supra Imperatorem. Christi crux antecellit Caesaris aquilas; gladius Petri gladio Constantini, & Apostolica sedes præiudicat Imperatorie potestati.*

§. V. Quum igitur cognoscamus, constitutiones hæc Pontificum, & Canones illos Patrum sanctorum, quibus sibi magno conatu ac elato supercilio imperium aliquod tribuunt, iuri diuino naturali ac positivo e diametro, vt ita loquar, oppositos esse; iam operæ pretium erit, paucis adhuc præfenti capite, tum in originem atque progressum & exemptionis & imperii clericalis, tum in effectus & iniquitatem eius indagere.

§. VI. Principio in ecclesia Christiana, seu cœtu fidelium, nulla plane differentia erat inter clericos & laicos, adeoque nullum propterea distinctum iudicium, ecclesiasticum & seculare necessarium erat; sed omnes indistincte, in externis ac publicis rebus suis, obtemperabant magistratibus, paganis, duris, & nimium sæpius in ipsos sæuentibus. Ceterum priuatim sese omnes vno quasi nomine appellabant fratres & sorores, omniumque



umque vna erat voluntas & anima, testante S. Scriptura, Act. cap. 4. v. 32. ex quo etiam notissima illa communio bonorum orta est, quæ nullas fere lites ab initio admittebat. Memores enim diuini præcepti, de dilectione aliorum, quod toties Christus, tamque serio discipulis suis inculcauerat, omnes eo tempore Christiani ardenti adhuc amore, pietateque, mutuò sese complectebantur, quo fiebat, vt illatas iniurias, offensasque vel lubenter sibi inuicem condonarent, vel absque vlla contradictione in laudo atque arbitrio reliquorum fratrum & fidelium acquiescerent; atque hoc pacto facili admodum negotio tunc omnes lites atque controuersiaë compositæ sunt. Ad quam consuetudinem respiciens D. Paulus eos reprehendit, qui malebant iudicari a paganis, quam ab ecclesia, iussitque, vt in posterum potius omnes quæstiones ancipites atque difficiles iudicio, vel totius ecclesie, vel quorundam fidelium, submitterent, rixasque, forsan exortas, a fratribus ita dirimi paterentur. *Numne est inter vos sapiens quispiam, qui possit indicare inter fratres? ad opprobrium vestrum illa profero: aut nescitis, nos iudicaturos esse ipsos Angelos, quanto magis hæc terrena atque secularia? Paul. I. Corinth. 6.*

§. VII. Monenda vero hic nonnulla sunt, ne quis peruerso Pontificiorum more concludat, ac si hic Apostolus Paulus ciuili magistratui potestatem iudicandi de clericis, eorumque causis ademerit. Iste enim locus non solum de clericis, siue, ministris verbi diuini, sed de interna ecclesia, & sic de laicis quoque agit: deinde etiam iubet Apostolus, omnes contentiones *priuatim* (non ergò *per modum processus*) inter fideles dirimi ac tolli, ne in vulgus exeant atque erumpant, & ne impii Iudæi ac gentiles, vt tunc solebant, calumniandi inuehendique vehementer in conuersos occasionem inde arripiant.

§. IIX. Hunc morem deinceps in decidendis dubiis quæstionibus seruauit semper ecclesia, ac propterea Clemens in *Epist. ad Iacobum* Roma Hierosolymam an. 68. ita scribit: *Si qui ex fratribus negotia habent inter se, apud cognitores seculi non iudicentur, sed apud*



apud Presbyteros ecclesie, quicquid illud est, dirimatur, & omni modo obediatur statutis eorum. vid. *Can. 22. C. XI. q. 1. Marcellinus in Epist. 2.* Quæcunque contentiones inter Christianos orta fuerint, ad ecclesiam deferantur. Episcopi, tanquam proceres & antistites ecclesie, cognitioni huic præerant, magis tamen, vt Tacitus de Ducibus veterum Germanorum refert, auctoritate suadendi, quam imperandi, & magis ex arbitrio atque compromisso disceptantium, quam diuino præcepto, quod Hieronym. in *Comment. ad Titum cap. 1.* confirmat: Nouerint Episcopi, se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate Presbyteris esse superiores. Imo, antiquam ille ecclesie modus tollendi controuersias, amicabilem quædam compositio erat, violenta enim media non habebat, adigendi ac compellendi renitentes ad obsequium, si qui forsân sententiæ latæ vltro morem gerere recusabant.

§. IX. Sed quum postea ipsi Principes & Imperatores Christianæ religioni nomina sua dedissent, subito factum est feruore nimio religionis, seu potius superstitione, vt Constantini, Marciani, Iustiniani ac reliquorum imperio, clerici tum in genere varia priuilegia, multasque immunitates, & a ICTIONE seculari, & ab oneribus publicis, tum Episcopi in specie ICTIONIS veræ speciem impetrauerint, quæ Episcopalis Audientia dicitur, de qua integer titulus in Codice nostro Iustiano extat. Hinc ait Nicephor. l. 7. *Eccl. hist. c. 46.* Permisit Constantinus clericos immunes ac liberos, lege lata Episcopis dedit ICTIONEM, & super clericos, & super laicos, tanquam delegatis suis, si quidam ciuiliū iudicium cognitionem declinare voluissent, & libertatem ecclesie lege lata concessit. Et de ICTIONE Episcopali Sozomenus lib. 1. *hist. c. IX.* hanc sententiam legis Constantinianæ commemorat: vtiliceret litigantibus Episcoporum iudicium inuocare, neglectis, si vellent, ciuilibus magistratibus, & vt sententia eorum rata esset, & potioris auctoritatis, quam aliorum iudicium, atque si ab ipso Imperatore prolata fuisset, vique iudices, seu, magistratus, & que ministrantes apparitores iudicata ab his executioni tradere. *Cont. l. 25. pr. C. de Episc. & Cler. l. 1. & auth. Item nulla; cum auth. Statimus, C. eodem: nec non l. 7. & 8. C. de Episc. Audient.*

§. X.



§. X. Egregie de eo, quod hactenus asserui, differit Petrus Suavis in *historia Conc. Trid. lib. 4.* postquam enim multa de iudiciis charitatis primitivæ ecclesiæ grauter enarrauit, ita pergit: *Fecit Episcoporum id temporis probitas & charitas, ut in illorum opinione prope omnes acquiescerent, paulatimque Ecclesiæ causam dedit, postquam charitas illius refrigerat, & munus a Christo illi impositum negligenter administrari ceperat, curam omnem in Episcopum conticiendi, ambitio autem, affectus admodum subtilis, & animum umbra specieque virtutis sese insinuare aptus, persuasit Episcopis obtulis eam vlnis amplexari. Verum isthæc mutatio ad summum non peruenit, nisi posteaquam a persecutionibus cessatum esset. Tunc enim Episcopi veluti tribunal sibi erexerunt, quod litigandi causis, una cum accessione facultatum temporalium auctis, easit subito frequentissimum. Et iudicii forma, quamvis non eadem erat cum veteri illa, qua de ecclesiæ assensu omnia stabantur, eandem tamen retinuit sinceritatem. Unde Constantinus Imperator, explorato huius iudicii in controuersis terminandis fructu, quantumque posset vis religionis in capturis & fraudibus actionum detegendis, quas iudices deprehendere non poterant, legem sanxit, ut a sententia Episcoporum pronocatio non esset, easque iudices exsequerentur. Quin imo, lite coram iudice seculari pendente, quicumque esset causæ status, si alterutra pars, altera licet obliuente, Episcopum sibi iudicem deposceret, illico ad eius cognitionem lis utique referretur. Exinde iudicium Episcopi cepit esse forense, & quum magistratum haberet sententia executorum, ICtionis Episcopalis, item Audientia Episcopalis, & similibus titulorum nomina sibi vindicare. Et paulo inferius. Hiscæ gradibus, que charitatis intuitu a Christo primum instituta correctio, in dominationem vertit, &c.*

§. XI. Ex quibus omnibus tandem colligimus, exemptionem clericorum & Episcopalem ICtionem, primariam causam & originem suam debere Constantino Imperatori. Qualemcumque vero ille libertatem clericis & ecclesiis concesserit, nihilominus tamen sibi, & successoribus suis summam reipubl. potestatem, tam in sacris, quam in secularibus referuauit, uti latius demonstrauit Schilt. in *Comment. de libertat. Eccl. Germ. lib. 1. cap. 6. §. 3. seq. Heidegg. in hist. Papat. period. 2. §. 16.*

§. XII. Imperio autem subsequantium Imperatorum noua ac maiora indies incrementa hæc exemptio atque potestas sumfit, idque partim superstitione ac barbarie illorum secularum, partim



tim etiam peculiari quadam ac mirifica benignitate & liberalitate Imperantium in omnes clericos, qua non solum multas immunitates, multamque pecuniam, sed integras quoque ditio- nes & prouincias in illos transfulerunt. Quo facto, experientia hic comprobatum est, quod in communi alias prouerbio dici so- let; *Opes & honores mutant mores*: Inflati enim eminenti & ampli- fima dignitate ac potentia sua, noluerunt amplius Episcopi, ac in primis Romani, Imperium Principum atque Imperatorum, vt superius, ferre atque agnoscere, sed pedetentim & supra illud intolerabili quadam insolentia atque superbia tumidum caput ex- tulerunt. Quam ob causam eos merito etiam, vt ingrattissimos, infimulauit Monzambano in *tr. de Statu Imperii Germ. cap. 3. §. 12.* *Enim uero, prout id genus hominum Imperii in alios auarissimum, ceterorum in se potestatem egerrime sicut ferre; ita hoc vnum ad perfectam felicitatem deesse uidebatur, quod in Imperatoris manu foret, tam luculenta beneficia distribuere, eni eam ob causam peculiariter obstridi cogebantur vivere, Ni sanctissimi ordi- nis reuerentia obstarat, improbissimos mortalium dicerem, qui munificentia Im- peratorum, ut euentus ostendit, valde inconsulta, ad destruendum fastigium Imperatorum sunt abusi. Nec libertate dignum putauimus, qui manu missorem in patroni loco colere adspernatur.*

§. XIII. Vt autem finem suum eo felicius assequerentur, multas uafritia atque calliditate splendidissimas inuenere frau- des & artes, quibus improuidas, ignaras & minus perpicaces hominum mentes turpiter fefellerunt, dum se nominarunt suc- cessores Petri, cuius uerba tanquam diuina & irreprehensibilia accipienda: hinc inquit Agatho Papa *distinet. can. 2.* *Sic omnes Apo- stolice sedis sanctiones accipiende sunt, tanquam ipsius diuini Petri uoce firmate sint.* Et Nicolaus Pontifex semet ipsum cum Deo com- parat, *can. 7. dist. 96.*, adeoque se a nemine iudicari posse, arbitra- tur: *Satis euidenter ostenditur, a seculari potestate nec ligari prorsus, nec solui posse Pontificem, quem constat a pio Principe Constantino Deum appellatum: nec posse Deum ab hominibus iudicari manifestum est.* Gregorius VII., Hilde- brandi nomine alias notus, *can. 9. dist. ead.* hoc aliis cum simili- bus illustrare, certiusque reddere cupit: *Quis dubitet enim, ait, sa-*

cor-



*cerdotes Christi Regum & Principum omniumque patres & magistros censeri? Nonne miserabilis insanie esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum sua potestati subiicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in caelis se ligari posse & solui. Conf. can. 10. 4. & 5. dist. ead.*

§. XIV. Quum huius Gregorii VII. mentionem fecerim, silentio prætermittendum non est, quod notanter de eo Heidegg in *hist. Papat. period. 4 §. 79.* scribit, apprime enim huc illud facit; *Cum primis vero, inquit, Papatus Gregorii VII. Hildebrandini vulgo dicti, Pontificium Regnum, depressa Maestate Imperatoria, ad ævum strenue perduxit.* Et certe mirabile dictu atque auditu est, ad quale culmen & fastigium eo temporis progressa fuerit rabies illa Pontificum Romanorum; qui enim omni pietate & obsequio Imperatorem, tanquam Patronum & Defensorem Ecclesiæ, colere & prosequi debebant, hi eundem stupenda sane nequitia ac tyrannide, sine vlla iusta causa, mirum in modum exagitarunt; quodque nullo iure, neque diuino, neque humano, iis datum erat, hoc sibi arrogarunt, falso colore & titulo Zeli diuini, dum Imperatores ac Reges excommunicarunt, regno & imperio spoliarunt, idque inaudito exemplo tradiderunt alii, quem magis crederent causæ suæ & improbitati fauere.

§. XV. Sic de eodem Gregorio VII. in historiis proditum est, eum ob friuolas plane causas, & de quibus cognitio penitus ad Pontificem non pertinet, exclusisse non solum Henricum IV. Imperatorem e gremio Ecclesiæ, sed omni quoque imperio eum interdixisse. Quumque superstitiosa tunc Germanorum gens, veluti attonita hoc anathematis fulmine, & percussa eius terrore, repente ab eo desciuerit; eo tandem adactus est, ut in Italiam proficisci, ibique a Pontifice, qui tunc Canusii viuebat, reconciliationem & sublationem Banni petere, sibi consultum ratus est. Consequi vero prius illud non potuit, quam donec sine calceis, sæuiente hyeme, ieiunus vsque ad vesperam, forfices & scopas in manus habens, Romani Pontificis sententiam grati-

D 2  
amque



amque præpostulabat, & tonsura verberibusque se dignum profitebatur. Lehman. *in Chron. Spir. lib. 5. cap. 33.* Bruno *de bello Sax. ad an. 1076.* Heidegg. *in hist. Papat. period. 4. §. 80.* Ast nihilominus postea Status Imperii idem Papa incitavit, vt Rudolphum Sueniæ & Burgundiæ Ducem, contra hunc Henricum, Imperatorem sibi eligerent, quo factò, illi coronam cum hac inscripti-  
one misit:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Nec Fridericus I. ante calamitatum finem vidit, quam Venetiis procumberet ad pedes Adriani III., ac collum suum conculcandum ei præberet. Wagenfeil, *de Imperat. XI. & XII. Secul.*

§. XVI. Plura quidem adhuc exempla in testimonium detestandæ huius superbiæ clericalis adduci possent, si id mihi angusti dissertationis fines permitterent. Merentur interim verba Arnifæi, quæ in libro eius *de subiectione & exemptione clericorum* extant c. 8. §. 9. vt hic inferantur: *Propterea, inquit, primus Henricus IV. expertus est tyrannidem Pontificiam, quæ, vt semel viam sibi facere ausa fuit, iustarum rapidi torrentis, in successores quoscunque grassari perrexit, alios ad tempus saltem demergens, alios prorsus voragine infida absorbens. Ita enim tractati & excepti sunt Fridericus I. ab Adriano IV. & Alexandro III.; Henricus V. a Paschali II.; Fridericus II. a Gregorio IX. & Innocentio IV.; Conradus IV. ab eodem; Ludouicus IV. a Clemente & Ioanne XXII.* In primis vero obseruanda sunt verba, quæ sequuntur: *In quibus abdicandis quum Papa viderent suam potestatem contemptui futuram fuisse, nisi terrorem religionis admiscuissent, ita se gesserunt, vt sub specie religionis, non vt potestatis politica, regno spoliati viacerent, quo sophismate non tantum contra Imperatores, in quos peculiare quoddam ius sibi vendicant, sed ceteros Monarchas vsi sunt.* Hoc sane genus mortalium iniquissimum est ac perniciosissimum, quod pietatis nomine adhuc abutitur ad celandam fraudem & malitiam suam, in quos perhibete quadrat, quod Cicero *lib. 1. de offic. cap. 13.* in genere de iniustitia asserit, totius iniustitiæ nullam esse capitaliorẽ, quam eorum, qui, dum maxime fallunt, id tamen agunt, vt viri boni esse videantur. Conf. §. 27. *præced. cap.*

§. XVII.



§. XVII. Quum vero sagacissimi illi mortalium optime animaduenterent. nihil profanis suis conatibus magis obtinere, quam verbi diuini maiestatem, quod tam sedulo Imperantibus obediri præcipit, ac deinde etiam legum humanarum auctoritatem: ergo hanc ingressi sunt viam, vt Cæsareo Iuri Ius Pontificium, Diuino vero Theologiam scholasticam opponerent, ac ita vtrumq; illud grauisimum præsidium labefactarent & conuerterent. Heidegg. *in hist. Papas. period. 4. §. 95. seq.* Hisce itaque medijs feliciter, quam iustius, ad eum, quo tendebant, finem peruenerunt Pontifices: prohibita enim lectione S. Scripturæ, & introducta Philosophia ac Theologia scholastica a Doctoribus & parentibus eius, Lanfranco, Anselmo, Hugone de S. Victore, nec non a Magistro illo sententiarum P. Lombardo, *ecclesia Christi alligari cepit ecclesia Papa, & ecclesia vniuersalis catholica restricta est ad ecclesiam particularem Romanam, que non amplius verbum Dei, sed decreta Papa, & figuram hominum professæ est. Nec libertati Euangelicæ aliquid relictum, sed paulatim subiecta omnia sunt seruituti Pontificia, vt a Scriptura, quam a decretis Papa, recedere tutius longe fuerit.* Heidegg. *cit. l. §. 98.* Schilt. *in Comment. de libert. Eccl. Germ. lib. 4. c. 3. §. 16.* Et sic tandem stabilitum atque firmatum est regnum tenebrarum.

§. XIX. Iure vero Pontificio omnia summa imis mixta, & communis salus propter vtilitatem vnius ordinis, vel hominum quorundam in publicam perniciem & calamitatem commutata est. Postquam enim semel Papa *Can. 7. dist. 96.* superba Anti-Christi voce se dixerat Deum, Conf. Ziegl. *ad Lancell. lib. 2. tit. 16. §. 6. ad verba: Non iam humana,* qui a nemine posset iudicari aut redargui, etiamsi innumerabiles populos cateruatim secum ducat in gehennam; quia cunctos ipse iudicaturus, a nemine iudicandus est, *per can. 6. dist. 40. Conf. can. 13. Nemo. Can. 14. Aliorum. c. 17. cuncta. Cau. 9. qu. 3. it. gloss. ad extrauag. Ioann. XXII. de V. S. quæ Papam DOMINUM DEUM NOSTRUM impie vocat; & quia denique Christus beato æternæ vitæ clauigero terreni simul & cælestis imperii iura commisit, per *Can. 1. omnes. dist. 22.* Sequitur omnino ex  
hac*



hac egregia Anti-Christi doctrina, Imperatorem & omnes Principes ac Reges subesse debere Papæ eiusque potestati, quia Dei Christique vices in hac terra gerit, *per can. 10. Duo sunt. Can. 12. Nunquam, dist. 96. Cap. Omnes. 14. Cap. Sollicita. 6. X. de maior. & obedient. Extrauag. Commun. Vnam sanctam. lib. 1. t. 8. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati.* Nec causam eius e longinquo arcessere opus est; Est enim Pontifex causa causarum, vnde non est de eius potestate inquirendum, quum primæ causæ nulla sit causa. Lancell, *lib. 1. c. 1. de Imper. §. 1. de ornat. corp. Imp. vs. coronam. q. 2. n. 8.* Impudentissimus Papæ assentator Marta Neapolitanus in *praf. tr. de Ictione ad Paulum V. Pontificem hanc causam allegat: Tu es Vicarius Dei in terris, a quo emanat omnis Ictio, vnicus in orbe Pontifex, Imperator & Rex, omnium Principum superior rerum & personarum supremus dominus &c.* Conf. Ludou. Engel. *Colleg. Iur. Can. tit. de maior. & obedient. §. 1. de Summo Pont.*

§. XIX. Ex hoc igitur principio quod omnis potestas ciuili Pontifici subiecta, adeoque Reges & Principes, non nisi magistratus sint, subditi nutui Paparum, & ab eo dependentes, fluunt porro alia doctrinæ iuris Canonici, Papam scilicet

1. Possè annullare pacta atque conuentiones Principum, si absque consensu eius, vel ratihabitione fuerint celebrata, quod superiori seculo denuo quidem, sed frustra tentauit Papa contra Instrumentum Pacis Osnabruggenfis. vid. Instrum. Cæsar. Suec. *art. 5. §. 1. & art. 17. §. 1.* quibus protestatio Papalis pro inani & nihili publice declarata. Conf. Ziegl. *de Iur. Mai. lib. 1. c. 5. §. 20.*

2. Possè Papam, tanquam supremum omnium legislatorem, dispensare in omnibus legibus humanis. *c. 20. innotuit. X. de Elect. Imo & in diuinis, vti multoties fecerunt Pontifices, dispensando circa matrimonia iure diuino prohibita, vid. Carpz. in Iurispr. Consist. lib. 2. tit. 7. d. 109. num. 2. & 3.* quam iniquitatem ipse Pontifex Vrbanus agnouit in *Can. 6. Sunt quidam. Cau. 25. qu. 1.* Conf. Ziegler. *de Iur. Mai. lib. 1. c. 7. §. 6.* Engel. in *Colleg. Iur. Can. cit. l. n. 8.*

3. Possè Papam iuramenta relaxare, per *Can. 4. Nos sancto- rum*



rum. *Et c. 5. Iuratos. Cau. 15. qu. 6.* ita subditos etiam ac milites a sacramento fidelitatis & subiectionis, legitime præstito, sæpius absoluit.

4. Possè Papam leges ferre ea cum conditione, vt ab omnibus obseruentur, per *Can. 4. Enimvero. dist. 19.* etiam si iugum imponat, quod vix ferendum, per *Can. 3. In memoriam. dist. ead.* Et hac potestate ferendi leges per vniuersum terrarum orbem, quam sibi vindicant Pontifices, exemerunt illi non solum clericosa potestate ciuili, absque vilo consensu Principum secularium, vid. Menoch. *de Ictione lib. 1. cap. 17.*, sed prohibuerunt simul quoque, statuti variis pœnis, ne vel laicus vel clericus alium clericum ad forum secularè trahat, siue ciuilitè, siue criminalitè agat, per *Can. 8. Nullus Episcopus. Can. 1. Nemo. C. 3. clericum. C. 6. Nullus clericus. C. 14. Relatum est. C. 17. Clericum. C. 42. Inolua. C. 43. Placuit. Cau. XI. qu. 1.* Nec clerici quidem ipsi huic beneficio ac priuilegio fori possunt renunciare, quum non sit beneficium personale, cui partes prohibitu resignare valeant, sed potius toti collegio ecclesiastico indultum, cui neque priuatorum pacto, neque iuramento derogari potest, vid. *Cap. 12. Si diligenti. X. de for. Comp. Cap. 18. Significasti. Eod.*

§. XX. Vti vero hæc constitutiones omnes Pontifices, cum ad auctoritatè & tyrannidem suam stabiliendam, tum ad subuertendam potestatem ciuilem, condiderunt, vid. Ziegl. *in Not. ad Lancell. Inst. Iur. Can. pag. 97. 564. 652.*; ita vtique verum est, quod dixit Ioan. Faber *in præf. ad Inst. Papa*, quise verbis dicit feruum feruorum, de factò se adorari permittit, & Regiam potestatem vsurpat.

§. XXI. Plures adhuc quidem effectus imperii Papalis enumerare possè, v. gr. de concurrente Ictione in omnium territoriis ac Diocesisibus, mediante qua, ommissis inferioribus iudicibus, per saltum quasi appellationes ad Papam dirigi possunt, per *Can. 4. Si quis. Et seq. Can. 5. 6. 7. Et c. Cau. 2. qu. 6.* Non indistinctè tamen per *Can. 45. Metropolitanum. Cau. 2. qu. 7.* vide Celeberimi



rimi Dni Schneideri disputationem, defensam ante triennium a me sub præsidio eius, *de Promotionibus per saltum, cap. I. §. XI.* De reliquis conf. Coruin. *I. Can. lib. I. tit. 3. §. 6.* Sed quoniam ad sequentia progrediendum sit, breuiter hæc de peruersa Pontificum ac Pontificiorum doctrina, ratione fori competentis clericorum, & subiectionis in dominationem & imperium mutatæ, ex Iure Can., & quantum licuerit, ex historia ad duxisse sufficiant,

### CAPVT III.

DE

## FORO COMPETENTE ET SVBIECTIONE CLERICORVM SVB POTESTATE CIVILI IN TERRIS PRINCIPVM EVAN- GELICORVM.

SVMMARIA.

**P**apa in terris protestantium nihil iuris habet in sacris, §. I. hinc ipsi Principes protestantes ius circa sacra exercent; exemerunt tamen ex beneplacito clericos a Ictiōne iudicum inferiorum, §. II. & VI. non ex præcepto quodam diuino, ac refutantur contraria variationes, §. III. & IV. Principes Euangelici non suslinent duas personas, Episcopi scil. & Imperantis, sed vnicam, §. scil. Principis, §. IV. Ius Civile & Canonicum nos tantum obligat ex receptione & consuetudine, §. V. Diuiditur forum clericorum in priuilegiatum & commune, §. VI. priuilegiato foro regulariter gaudent clerici in omnibus negotiis; communi autem, si de statu clericali dubitatur, §. VII. aut, si clericus actor sit, vbi simul agitur de foro clericorum in concursu credito-

rum, it. in causa diffamationis, §. VIII. Quer. an citatio, in foro diffamationis emissæ, præuentionem in ipso negotio principali inducat? §. IX. De foro clericorum in casu euictionis, §. X. de foro clericorum in causa gesta administrationis, §. XI. Quid, si clericus laico in lite succedat? §. XII. de foro clericorum in causis possessorijs, §. XIII. clericus ausingens a seculari iudice deprehendi potest, §. XIV. de foro contractus clericorum, §. XV. de foro rei site clericorum, §. XVI. de foro feudali clericorum, §. XVII. de foro continentia causarum, §. XVIII. de foro prorogata Ictiōnis, item, de foro voluntario arbitrarium ex compromisso, §. XIX. XX. de foro delicti clericorum, §. XXI. de foro Cambialis, §. XXII. Conclusio, §. XXIII.

§. I.



## §. I.

Quamuis in proxime superiori capite ex principiis Iuris Can. & scriptorum ecclesiæ Romanæ deduxerim, Papam sibi soli supremam circa sacra potestatem in toto terrarum orbe vindicare, vid. Barbof. *de Iur. Eccl. lib. 1. cap. 2. Dn. Linck. de Iur. Episc. cap. ult. num. 97. & 98.*, & per consequens clericos potestati civili plane velle exemptos esse; in terris Principum Protestantium tamen nihil iuris, neque in sacris, neque in profanis negotiis amplius habet Præsul ille. Postquam enim per transactionem Passaviensem de anno 1552. & subsequutam religionis pacificationem, iuxta R. I. de an. 1555. §. 20., nec non per Instrumentū Pacis Westphalicæ, ecclesiastica Pontificum Romanorum Ictio in provinciis ac ditionibus Augustanæ confessioni addictorum suspensa est: restitutum eo ipso omne Ius Sacrorum Imperantibus fuit, ac tota illa res rediit ad simplicitatem iuris naturalis, ita vt cuius sit regio, eius quoque sit religio, ac dispositio circa sacra & externa cultus diuini, vid. *art. 5. §. 1. Instrum. Pacis Cesareo-Succ.* Vitriar. *illustrat. lib. 3. tit. 19. §. 28. seq.* Reinking. *de regim. sec. & eccles. lib. 3. class. 1. cap. 10. §. 1.* Brunn. *in I. Eccl. lib. 1. cap. 2. §. 9.*

§. II. Liberrime itaque Principes nostri, vi superioritatis territorialis suis leges præscribunt in territoriis tam clericis, quàm Laicis & illis æque ac his certum forum constituunt, in quo, si opus est, conueniri possint. Quamuis etiam Iure diuino nequaquam Imperantibus prohibitum sit, clericos, tum ratione personarum, tum ratione rerum atque causarum, inferioribus etiam magistratibus subicere; inualuit tamen generali fere consuetudine Principum ac Statuum Protestantium, vt ab inferiorum iudicum cognitione clerici sint exempti, ac peculiari foro privilegiato gaudeant, quod Doctores iudicium ecclesiasticum, *das geistliche Gerichte* / siue, Consistorium vocant, Conf. Brunn. *in Iur. Eccl. lib. 3. cap. 1. §. 1.* Gylman. *in symphorem. Tom. 1. p. 1. tit. 3. n. 8. vs. mouet me. Ziegl. de*

E

Iur.



*Iur. Maiest. lib. I. cap. 19. §. 2.* Quod non improbandum, quoniam nulla dispositio iuris diuini adest, quæ per modum præcepti Principem constringat, vt hoc vel illud forum constituat.

§. III. Facile ergo iudicium ferri potest de quæstione: Vtrumne Princeps ab hac consuetudine sine iniuria recedere possit? Negant hoc non nulli, (vid. B. Brunnemannus *in Consil.* 142. num. 22.) asserentes clericos inferioribus magistratibus subiici nullo iure posse, idque potissimum quinque rationibus probare nituntur. 1. Quia hoc priuilegium exemptionis clericorum a Ictioe inferiorum iudicium præscriptione inmemoriali XII. Sec. munitum. 2. Quia iuri communi consonum, & ita non abrogandum. 3. Quia tributum est a veteribus intuitu piæ causæ; quæ autem piæ causæ intuitu data sunt priuilegia, abrogari nequeunt. 4. Quoniam datum est hoc priuilegium ob bene merita clericorum. 5. Quia hoc priuilegium descendit ex pacificatione Imperii, qua Ictio Ecclesiastica ex iure fiduciario in status Euangelicos collata. Verum, quod pace dissentientium dixerim, illa sententia mihi quodammodo dubia videtur, vnde arbitror, iuste licere Principibus, clericos inferiori etiam magistratui subdere, licet ex rationibus politicis id statim suadendum non sit. Nam 1. potestati leges nouas condendi ac mutandi veteres, tanquam Regali eminenti, quod absque contradictione ab Imperantibus abesse nequit, nullo viuant æuo ac temporis lapsu a subditis potest præscribi. 2. Consequentia non valet; Quod iuri communi consonum illud non est abrogandum: multa enim in Iure Ciuili & Canonico, quod vtrumque per Ius commune intelligimus, continentur, quæ vel ad statum ciuitatum nostrarum non quadrant, vel si in primis Ius Canonicum respicias, plane absurda, adeoque nec recepta, neque vt recipiantur digna sunt, quo ex genere hæc etiam dispositio est, vnde præscripta Iur. communis in nostris prouinciis recipere & obseruare, in arbitrio nostrorum Principum positum esse censemus. 3. Quæ a veteribus intuitu piæ causæ tributa sunt priuilegia, reuocari omnino possunt, quum factum alterius Principis, alterum



alterum non obliget, sed a voluntate cuiusque Imperantis dependeat, quem modum beneficii sui esse velit, vid. l. 191. ff. de R. I. Adde, quod prætenſus fauor piæ cauſæ ſæpius nihil ſignificet, præter ſuperſtitionem ac cœcum erga Papiſticum clerum amorem. 4. Priuilegia non egrediuntur territorium concedentis, ſiue ad tempus ſolum atque ex nuda gratia, ſiue in perpetuum & ob bene merita, aut titulo quodam oneroſo conceſſa ſint. Quicquid igitur Conſtantine, Marciane, Juſtiniane, aliorum Imperatores conceſſerunt clericis ſuis, illud non poteſt præiudicare Principibus noſtris, quum non ſint illorum ſucceſſores, hinc nec factum illorum præſtare tenentur. 5. ICtio eccleſiaſtica non iure ſiduciario per Papiſtationem in Status Euangelicos collata, vt diſſidententes ſuppouunt, ſed hæc ipsis iam antea competiit, & adhuc competit vi ſuperioritatis territorialis, ſummo imperio analogæ, vt ex cap. 1. apparet, atque quum hæc poteſtas circa ſacra a Romanis Epiſcopis per tempus aliquod iniue uſurpata, & variis machinationibus reſtrieta fuerit, tandem huius exercitium legitimum dominis reſtitutum eſt. Illuſtr. Dn. Stryk. ad Brunn. I. Eccl. lib. I. cap. 6. m. 12. §. 6. ad uerba: quemlibet ſtatim.

§. IV. Ex quo ſimul patet, non ſatis accurate Doctores nonnullos loqui, qui dicunt, Principes Euangelicos poſt tranſactionem illam & pacem publicam duas diuerſas ſuſtinere perſonas, alteram Epiſcopi, alteram autem Principis, ac intuitu prioris Epiſcopalem, intuitu autem poſterioris ſecularem ICtionem exercere. Nam ICtio eccleſiaſtica non eſt ſeparata quædam iudicandi poteſtas, a S. Imperio independens, ſed potius eidem connexa. Quum itaque illa abuti coeperint Epiſcopi, Catholica religioni addiſti, eamque ſibi ſubſequentibus temporibus iniuſto modo arrogauerint, in ipſos etiam Principes ac Reges, hinc tandem, poſt ſciſſionem religionis in Imperio noſtro Germ., ſuſpenſa eſt hæc ICtio clericalis in terris Principum Euangelicorum, quo factum, vt hi iam libere poſſint omnia Maieſtatis iura, etiam circa ſacra exercere, niſi quatenus LL. Imperii fundamentali-



talibus impediuntur. Hinc non dubito quoque, quin Principes nostri Imperii, vi superioritatis territorialis possint iudicibus inferioribus imperium in clericis committere, quum hoc nullibi, neque iuri diuino, neque LL. Imperii fundamentalibus, contrarium esse deprehendatur. Ita in Marchia Brandenburgica clerici, sortiuntur forum in causis ciuilibus, personalibus etiam, coram Patronis suis, vid. *Recess. prouinc. de an. 1653.* Illustr. Dn. Stryk, in *not. ad Lauterb. tit. de iudic. pag. n. 104. ad vocem: clericus.* E contrario a in Saxonia nobilis clericum coram Consistorio conuenire debet. Carpz. in *process. tit. 1. art. 2.*

§ V. Præterea quamuis etiam in territoriis Protestantium, vna cum Ictione Pontificia, Ius quoque Canonicum seu Pontificium abrogatum esse censeatur: nihilominus tamen recepta semel auctoritas eius in nonnullis materiis, in quibus æquitatem quandam ac pietatem præ se ferre videtur, non quidem ex Pontificis potestate, vt in regionibus Romano-Catholicorum, sed ex consuetudine & moribus, tacito consensu nostrum Principum approbatis, valet, ac proinde constat, non in totum, sed quatenus res in iis proposita vsu obtinent, & cum recta ratione ac diuino iure conueniunt, illud sequendum esse vid. Reinking. *de regim. sec. & eccl. lib. 2. class. 2. cap. 7.* Ziegl. in *diff. de Origin. & increment. Iur. Can. §. 68.* Lauterb. in *Comp. Iur. in præf. pag. 3.* Matth. Stephan. *de Ictione lib. 3. p. 1. c. 3. n. 23.* Simili ratione, qua Ius Iustinianum nos non ex auctoritate & promulgatione Iustiniani vel aliorum Imperatorum, sed solum ex consuetudine, qua illud in Imperio, & territoriis Principum nostrum receptum, & statui nostro accommodatum visum est. vid. Dn. Linck. in *disc. prælim. ad Iur. templor. n. 33.* Recte igitur & in hac materia Doctores nostri tam in Academiis, quam in Curiis ad vtrumque illud Ius Canonicum & Iustinianum eatenus adhuc prouocant, quatenus clerici non ab omni potestate ciuili, sed tantum a Ictione inferiorum iudicum liberi redditi sunt, nihilque, quod vel rationis lumini, vel diuinæ voluntati repugnat, in illis iuribus reperitur: nostri



nostri enim clerici iam fere in eodem statu ac conditione viuunt, quo quondam sub Imperio primorum Principum Christianorum fuerunt, vid. Dn. Linck. *de Iur. Episc. cap. XI. num. 42. num. 63. & num. 31. Schilt. in Inst. Iur. Can. lib. 1. tit. 18. §. 4.*

§. VI. Quamuis ergo clerici a Ictione magistratus secularis exempti generaliter dicantur, vid. *L. 13. C. de Episc. Audient. Auth. Statuimus. C. de Episc. & Cleric. l. 25. in f. pr. C. eod. Cap. Si quis clericus. l. X. de for. comp. & Cap. Clerici. 8. X. de iudic. Gail. lib. 1. Obs. 37. num. 1. Carpz. in Ispr. Conf. lib. 3. def. 3. num. 3. hoc tamen, prout dictum, apud Euangelicos ita generaliter non accipitur, sed eorum principii propositio ita formanda, quod regulariter clerici a Ictione iudicium secularium, præsertim inferiorum, sint exempti, nisi forte ratione fortunarum ac rerum immobilium, &c. in ius vocentur, iis enim casibus forum priuilegiatum cessat, quum intuitu temporalium personæ ecclesiasticæ temporali quoque magistratui obedire teneantur. Bald. in cap. 1. num. 4. d. controu. feud. &c. Carpz. cit. l. def. 5. & 7. Mynsing. Cent. 1. Obs. 22. & Cent. 4. Obs. 95. Reinking. de regim. secus. & eccl. lib. 3. cl. 1. cap. 10. num. 11. seq. Vnde forum clericorum commode mihi videtur dispesci posse in *priuilegiatum* atque *commune*, siue, in *ordinarium* & *extraordinarium*. Per *priuilegiatum* intelligo forum ecclesiasticum, quo clerici omnes ac personæ ecclesiasticæ tanquam *ordinario* suo iudicio toties gaudent, quoties singularem ob causam, siue rem, non impediuntur, & ad communem reliquorum ciuium iudicem trahuntur. *Commune* autem clericorum iudicium uoco, quod cessante priuilegiato, personæ ecclesiasticæ ex iure communi ob certam quandam causam, rem vel factum, non vt clerici, sed extra istam functionem, vt alia membra reipubl. siue societatis ciuilibus, in casibus ante recensitis, & deinde fufius explicandis, foriuntur. vid. Schilt. in *Inst. Iur. Can. lib. 1. tit. 18. §. 1. lit. D.**

§. VII. Priuilegiato ergo iudicio regulariter gaudent clerici in omnibus actionibus obuientibus, tam realibus, quam



personalibus, adeo, vt si causa sit æqualis atque communis clerico & laico v. gr. si clericus & laicus correi sunt debendi vel focii, nec causa diuidi possit, ille, tanquam dignior persona, hunc, veluti personam minus dignam, ad suum forum ecclesiasticum pertrahat. Carpz. *lib. 2 Resp. 16. num. 19.* Engel. *in Colleg. Iur. Can. lib. 2. tit. 2. p. 1. §. 5. n. 47.* Dico tamen *regulariter*, nam & ab hac regula, vti ab aliis, variæ dantur exceptiones, & quidem

1. Si adhuc ambiguum, an quis clericus sit vel non? super hac quaestione prius cognoscere potest iudex secularis, quia facti est, Ziegl. *ad Lancell. lib. 3. tit. 1. §. 6. in f. Brunn. in I. Eccl. lib. 3. c. 1. §. 14.* Quodsi vero iam maior forte pro statu clericali præsumtio adfit, v. gr. si antea semper habitu clericorum incessit, &c. statim remittenda est causa ad ecclesiasticum magistratum. Hic quidem pluribus adhuc exponendum esset quibus ex signis status clericalis plerumque præsumatur, & quæ personæ hoc exemptionis priuilegio fruuntur, sed ne in enumeratione & explicatione requisitorum, quæ hic vulgo Canonistæ exigunt, longus nimium sim, breuiter me remitto ad Dn. Linck. *de Iur. Episc. cap. XI. §. 44.* & Engel. *cit. l. §. 5. num. 42.* Inter Protestantes vero hoc beneficio gaudent non solum primarii & maiorum ordinum clerici, vt sunt Superintendentes, Professores, Pastores, Archi-Diaconi & Diaconi, sed secundarii quoque ac minorum ordinum v. gr. ludi moderators, præceptores scholarum, organici, æditui, custodes, alieue ecclesiarum atque piorum locorum ministri cum uxoribus, viduis, liberis & famulitio suo. Carpz. *in Ispr. Conf. lib. 3. tit. 1. def. 5.* Klock. *Vol. 1. Conf. 39. n. 44.* Linck. *cit. l. n. 64.* Heig. *P. 2. qu. 25. n. 22.* Schilt. *in Inst. I. Can. l. 1. t. 18.*

§. II X. Si (2) ipsi clerici sunt actores, sequi tenentur forum rei, quamuis hoc foremse sit aculare, per *cap. Si clericus. 5. & Cap. Quum sit. 8. X. de for. comp.* illud enim iuris ordo postulat, per *l. Actor. 3. C. ubi in rem act. l. Iuris. 2. & l. In criminali. 5. C. de ICrione.* Lancell. *in Inst. Iur. Can. lib. 3. tit. 1. §. 5. ibique Dn. Ziegler. in not. Meu. p. 6. dec. 9. num. 1. & 2.* Ita v. gr. (a) in casu cessionis bonorum,



a debitore abærato factæ, clerici & ecclesiarum œconomî, sive, ad-  
ministratores, citationi iudicis secularis vna cum reliquis credi-  
toribus laicis se submittere debent, quod male negat Marta de  
ICtione P. 4. Cent. 1. cas. 123, non enim hic reus, sed actor est cleri-  
cus. Illustr. Dn. Stryk. ad Brunn. de concursu credit. cap. 1. §. 2. ad ver-  
bum: Ecclesiasticus. Salgado in labyr. credit. P. 1. c. 6. num. 8. & seq. Se-  
cus si contra clericum ipsum concursus exciretur, hic enim, quia  
sic reus fieret clericus, coram iudice ecclesiastico quoque insti-  
tuendus esset, vid. Cap. Odo arduus, 3. X. de solut. Brunn. in tr. de concursu  
credit. cap. 1. §. 2. Porro (b) si clericus propter illatas ipsi a laico iniu-  
rias agere velit, coram iudice eius competente, seculari scilicet,  
illum conuenire debet, nisi forsan in templo ac durante S. liturgia  
iniuria fuerint illatæ, sic enim, quoniam illis sacra turbata, inde  
fit ecclesiastica causâ, quæ censuræ etiam ecclesiasticæ subiacet.  
Meu. P. 3. dec. 257. num. 9. seq. Schilt. in Inst. iur. Can. lib. 1. tit. 18. §. 5.  
vel nisi aliud etiam consuetudine obtineat, vid. Cap. Si clericus. 5.  
X. de for. compet. Engel. in Coll. iur. Can. lib. 2. tit. 2. §. 5. num. 41. Item  
(c) si clericus laicum de crimine, delicto, debito, vel alia quacun-  
que re diffamauit, potest ille ab hoc coram suo, diffamati scil. iudice  
seculari, prouocari, vt vel calumniam suam probet, aut perpetuo  
in posterum fileat. Hæc enim est practica legis *Diffamari. C. de in-  
gen. manum.* & quum de diffamati statu & qualitate aut conditio-  
ne quærat, optime de ea re poterit iudex ipsius competens  
cognoscere. Ziegl. dec. 4. pag. m. 17. Imo valet hæc prouocatio  
quoque coram incompetente iudice, Meu. P. 3. dec. 212. num. 3.  
Neque hic attenditur priuilegium fori, quod clericis alias compe-  
tit, quia clericus diffamator, veluti futurus actor, iudicem diffamati  
laici, tanquam rei, sequi necesse habet. Meu. P. 3. dec. 213.  
Gail. lib. 1. Obs. 9. num. 3. & 7. Brunn. in I. Eccl. lib. 3. cap. 1. §. 13. Ale-  
xand. Conf. 52. num. 4. Volum. 2. Coler. dec. 263. Diffamare enim,  
inquit Gail. cit. l. num. 4. & 7., est ad iudicem diffamati prouocare,  
neque prouocans agere videretur, quum diffamatorem saltem ad  
agendum publica auctoritate impellat. Interim, quoniam  
propter



propter *leg. 20. ff. de ICtione*, extra territorium, siue, ICtionem, ius dicenti plerumque non paretur, hinc si clericus diffamans citandus, Confistorium, vt ordinarium eius iudicium, litteris, quas subsidiales appellant, requirendum est, vt comparitionem, & cetera, quæ ad processum d. legis *D. ffamari* pertinent, eidem iniungat; sin vero hoc auxilium suum denegat, edictaliter potest citari, vid. Celeberrimus Dn. Ludouici in *Introduct. ad proc. civil. cap. 5. §. 3.* Engel, in *Coll. I. Can. l. 2. t. 2. p. 1. §. 7. num. 58.*

§. IX. Hactenus quidem omnes fere Doctores conueniunt. Sed vtrum in hac materia citatio quoque præuentionem inducat, & per consequens, vtrum clericus præcise coram eodem iudice, qui præparatorium diffamationis iudicium definiuit, principalem actionem instituere teneatur, vel an non potius liceat ipsi, alium iudicem, in casu plurium concurrentium, aut alias competentem, si incompetens iudicauit, adire? de eo magna inter Doctores disceptatio est. Gailius restdistinguit inter iudicium diffamationis & ipsius actionis, ac in priori dicit citationem operari præuentione, non in posteriori, *lib. 1. Obs. XI. num. 3 & 4.* Alii contra defendunt hanc sententiã non esse iuris cõmunis, sed in praxi Camerae ita obtinere, cuius ICtio quandoque solum super ipsa diffamatione, vt in causa fractæ pacis, fundata quidem, sed non in causa principali, hinc veriozem esse contrariam opinionem putant, quod in principali etiam causa per citationem litis pendencia fiat, vid. Engel, in *Coll. I. Can. lb. 2. tit. 2. p. 1. §. 7. num. 60.* Ioan. Bapt. de S. Seuer, in *rep. L. Omnes populi. col. 14. ff. de iust. & iur. alique.* Sed salua res est, non enim citatio in diffamatorio iudicio emissa litis pendenciam in ipsa principali causa inducit, sed potest diffamator in alio iudicio competente agere *Meu. P. 1. dec. 198.* quia citatio ex lege *D. ffamari* iniungit quidem, vt diffamator agat, aut vt liceat, minime vero, vbi agere debeat, neque imploratus iudex certum forum, vbi de principali negotio agatur, præscribere potest, quia de eo nihil in dicto textu reperitur. *Conf. Meu. P. 3. dec. 212. & P. 6, dec. 9. n. 7. & 6.* Zanger. *de except.*



P. 2. cap. 13. num. 14. seq. Brunn. in Comment. ad Codicem, in hanc legem num. 8. seq. Didac. Couarr. lib. 1. Var. resol. cap. 18. num. 6. Limitanda vero hæc assertio, nisi forte peculiare circumstantiæ aliud præcipiant, v. gr. si diffamator per rerum naturam actionem instituere nequeat, &c. qua de re vid. celebr. Dn. Ludouici in *Introd. ad proc. civ. cap. 5. §. 20. & 21.* Ceterum quamuis in foro contra clericum, si hic terminos officii sui in concione vel alibi vere excessit, actio ex L. Diffamari sibi vindicet locum, prout testatur Excell. Dn. Riivinus in *Enunciat. Iur. ad tit. 1. de off. iud. §. 33.* iuste tamen abusum huius remedii taxat B. Brunnemannus, in *cit. I. Eccl. lib. 3. cap. 1. §. 13.* vbi grauiter conuictus est, quod superbi ac criminis sæpe conscii homines, interrogati a fido Christi ministro de crimine, publica & constanti fama ad eum delato, & admoniti simul, vt in posterum ab eiusmodi malefactis ac vitis abstineant, temere hoc remedio contra illos abutantur.

§. X. Sequitur etiam (3) clericus forum seculare in casu euictionis & denunciatae litis, si scil. clericus laico aliquid vendidit, quod per tertium quempiam deinceps ab emtore repetitur ac vindicatur: defensor enim, qualis hic est clericus, non potest allegare priuilegium sui iudicis, sed tanquam venditor sequi debet iudicem emtoris secularem, per expressum textum l. 49. *Venditor. ff. de Iudic. vid. Didac. Couarr. pr. quest. cap. 8. num. 3. Gail. lib. 1. Obs. 37. num. 7. Mynsing. Cent. 1. Obs. 22. n. 7. & 8. Cent. 5. Obs. 14. Cent. Obs. 33.* qui omnes hanc dicunt communem opinionem, & in praxi v. bique receptam, cui etiam suffragari videtur gl. in *C. cleric. nullum. II. qu. 1.* Neque obstat contraria sententia, quam probant Paulus Castr. Angelus & Iacob, in *d. l. Venditor*, assuerantes; responsum huius legis tantum in laicis, non autem in clericis procedere, imbecilli enim nituntur argumento, quod, sicuti Fiscus venditor in casu denunciatae litis causam iam in iudicium deductam possit ad proprium ac peculiarem Fisci iudicem deferre, per Accurs. & Bart. in l. 3. *C. de Iur. Fisci*; ita quoque clericus ad iudicem suum ecclesiasticum cum tota causa remittendus sit.

missus

F

Nam



Nam primum nihil speciale hac ex parte de Fisco *in cit.* l. 3. inuenitur, quantumuis Bald. eandem ita explicet; deinde nihil refert priuilegium Fisci quoad alios, quibus idem iure concessum non est, quia, quod contra rationem iuris est receptum, non debet produci ad consequentias, per l. 14. ff. de LL. §. 1. 141. d. R. I. Sed quid, si clericus venditor neget, se teneri ad defensionem & euctionem emtori laico præstandam? tunc utique coram Confistorio, veluti ordinario suo iudicio, conueniendus est ab emtore, ad id, vt promittat, se velle venire, ac causam emtoris coram iudice seculari defendere, aut omne interesse præstare. Grœneweg. ad l. 1. C. ubi in remact.

§. XI. Subsunt quoque clerici (4) magistratui seculari, si propter administrationem officii cuiusdam secularis, tanquam tutores, curatores, procuratores &c. laici conueniuntur, ac primum quidem administratorio nomine ab aliis, durante adhuc officio illo, quia hic non tam clerici, quam laici, cuius curam gerit, vel mandata exequitur, persona attendenda est, Gail. lib. 1. obs. 35. num. 7. ac deinde finito officio, ac proprio quidem nomine, sed tamen propter administrationem, ad rationes reddendas, quam ob causam se sistere tenetur in foro gestæ administrationis, eum enim, qui aliena negotia, siue ex tutela, siue ex quocunq; alio titulo, administrat, ubi hæc gesit, ratione oportet reddere, per l. 1. C. ubi de ratiocin. tam pbl. quam priu. agi oport. l. 19. §. 1. ff. de iudic. quum ibi optima ac verissima documenta possint exhiberi vid. l. 2. C. ubi de ratiocin. &c. Carpz. lib. 2. Resp. 33. contra quas leges neminem priuilegiarum se tueri posse, sed scholarium quoque priuilegium cessare, existimat Salgado *in labyr.* p. 1. n. 93. id quod etiam affirmat Francisc. Munnoz de Escobar *in tr. de ratiocin. cap. 7. num. 8. seq.* ea tamen cum limitatione, si clericus lucri causa administrationem susceperit, eo enim casu, quia contra Canones deliquit ex sententia Canonistarum, priuilegium fori amittit, Escobar *cit.* l. 1. num. 24. seq. Prosp. Farinac. q. 8. n. 97. secus vero, si vel rei ecclesiasticæ, vel personæ miserabilis curam suscipiat ex misericordia, quum



quum illæ etiam per se ad forum ecclesiasticum spectent, harum autem cura in specie clericis demandata sit. *C. Decreuit. l. dist. 88.*

§. XII. Clericus (5) forum seculare declinare nequit, si laico in lite succedat, Panorm. & Felin. *in C. Quia, de Iudic. Coruin. in Inf. l. Can. lib. 3. tit. 4. §. 7. inf.* quia heres actiones contra defunctum radicatae accipere tenetur, *l. 19. pr. ff. de Iudic.* etiam si proprio vel communi privilegio hoc forum alias declinare posset, *vid. cit. l. 19. pr. & Brunn. in Comment. ad hanc legem,* itemque Lauterb. *in Comp. Iur. tit. de Iudic. pag. m. 104.* vbi enim acceptum semel iudicium, ibi quoque finiendum est, *per l. 30. ff. de Iudic. Conf. Gail. lib. 1. obs. 37. num. 8. Mynsing. Cent. 3. Obs. 45. inf.* Quum vero a defuncto laico iudicium semel coeptum sit, ob quasi contractum instantia transit ipso iure in quoscunque successores vniuersales, utpote qui in hac lite non tam propriam, quam defuncti personam repræsentant, *vid. l. 34. ff. de Iudic. Brunn. in Comment. ff. ad hanc legem. l. 58. ff. de O. & Act. Carpz. dec. 29. num. 11. & 12. et decis. 36. num. 1. & 2.* Ceterum si a defuncto laico, lis nondum fuerit inchoata, seu contestata, heres clericus conueniendus erit corâ ordinario suo ecclesiastico magistratu, nisi forte adhuc indiuisa iaceat hereditas, tunc enim propter connexitatem causarum aliud dicendum, de qua inferius. Prolixè hac de re egit Couarr. *in pr. quæst. cap. 8. num. 4. Conf. Gail. lib. 1. obs. 37. num. 10.*

§. XIII. Agnoscere (6) iudicem secularem tenetur clericus quando lis est super possessorio rei etiam spiritualis, vel quasi spiritualis, v. gr. super possessione decimarum, iuris patronatus, iuris præsentandi &c. quia tota hæc quæstio possessionis versatur solummodo circa factum, an hoc verum sit, vel non, an clerici possideant rem ecclesiasticam, an sint v. gr. in possessione decimas percipiendi, &c. possessio vero, siue nuda insistentia rei, quum facti sit, temporalis ac minime spiritualis est, *vid. gloss. in Cap. Litteras. de iuram. calumn. Gail. lib. 1. Obs. 37. num. 5. Carpz. lib. 1. def. 139. n. 7. Klock. Vol. 1. Conf. 39. num. 1. -- 6.* Multis quidem hanc opinionem falsitatis arguit Couarr. *in qu. pr. cap. 35. nec B. Brunneman. in I. Eccl. lib. 3. c. 1. §. 31. cuius auctor*



vel sua for huius assertionis esse cupit, quod scilicet lis super possessorio rei spiritualis possit a ciuili iudice expediri, nihilominus tamen ista, tanquam verior, & ab erronea Pontificiorum hypothese magis purgata, in praxi valet, vt deduxit atque testatur Gail, integra obseruatione *lib. 1. Obs. 38.* Necesse vero est, vt solius possessorii, nec simul maxima iuris ac proprietatis ratio habeatur, alias enim ab ecclesiastico iudice examinanda foret. *Carpz. cit. l. num. 5. & 7. Finckelth. de Iur. Patron. cap. 8. n. 9. Mindanus de process. lib. 1. cap. XI. num. 22.* Si cui autem forte volupe est, rationes in vtramque partem euoluere, legat Couarr. *cit. cap. 35. pr. quæst. & Menoch. de recuper. possess. remed. 15. num. 210. seq. eundemque de Ictiue lib. 2. cap. 18. pag. 154. §. decimus octauus est casus &c.*

§. XIV. (7) Si clerici debitores sunt in fuga, vel eam meditantur, possunt etiam a iudice seculari capi, quia fugiendo amittunt priuilegia, & quoniam priuilegia exemptionis &c. strictissime explicanda sunt. *Berlich. P. 1. Concl. 76. num. 10. & II. Dn. Linck. de I. Episc. cap. XI. num. 58.* ita tamen vt ecclesiastico iudici postea clericum tradat: extra casum fugæ autem hoc denegatur ciuili magistratui. *Berlich. P. 1. Concl. 75. num. 25. Conf. Felician. de Oliua de foro ecclesiast. P. 2. qu. 22.*

§. XV. Porro expediti iuris est, reum, etiam Clericum, (8.) obnoxium fieri Ictiōi laici ex contractu, eo sc. in loco, vbi contraxit, *Cap. Volentes. 1. de priuil. in 6to. Cap. Dilecti filii 17. & C. Licet. 20. X. de for. comp. Cap. 1. §. Contrahentes. eod. in 6to. Zanger. de except. P. 2. cap. 1. num. 107. seq. & num. 359. seq.* Frustra enim, inquit B. Brunnemannus, hic de priuilegiato foro contenditur, vbi ex alio capite, loci scilicet contractus &c., iudex competens est, sed tunc exemptus quis iudicatur solum, quando ratione domicilii conuenitur, alias enim nullum esset forum ex loco contractus. *Brunn. in Consil. 70. num. 22. & 23.* Ita recte differit in genere; quam vero exceptionem in specie deinceps ratione clericorum assert, merito reuoco, vt pote quæ nullo fundamento iuris, sed nudo ministerii fauore, vti ipse confitetur, superstructa est, hinc idem quod  
in



in reliquis priuilegiatis valet, intuitu clericorum etiam iuris esse puto. Conf. Richter *ad cit.* Cap. 17. num. 3. 4. & *seq. nemque ad Cap. 20. X. de for. compet. num. 20. seq.* Carpz. lib. 2. Resp. 29. Necessè vero est, vt ordinaria requisita huius fori adsint. Exigunt autem plerumque ad forum contractus, vt eum in locum solutio siue, consummatio contractus vel quasi destinata sit l. 21. ff. de O. & A. l. 19. §. 1. ff. de Iudic. Sin vero de eo nihil expresse dictum, respicitur ad locum, vbi conuentio perfecte celebrata, in dubio enim ibi quoque consummatio fieri debet, vid. l. 19. §. 2. ff. de Iudic. in scriptis vero contractus ibi censetur perfectus esse, vbi vtriusque contrahentium consensus fuerit coniunctus, argum. l. 55. ff. de O. & A. Berlich. P. 1. dec. 37. uum. 2. & P. 2. dec. 181. in fin. Deinde requirunt, vt reus præsens sit in isto loco suscipiendæ expeditionis causa, non vt confestim discedat. vid. Illustr. Dn. Stryk. in V. M. ff. tit. de Iudic. §. 21. Dn. Ludou. in Doctrin. Iur. ff. tit. de Iudic. §. 17. & 18. Carpz. lib. 2. Resp. 30. n. 4. 5. 6. seq. Brunn. Conf. 159. num. 25.

§. XVI. Ratione immobilium (9) clericus in foro rei sitæ ac seculari conueniri potest, quia hic plane non ad personam, eiusque priuilegia, vt frustra defendunt Bald. in auth. Clericus. post pr. C. de Episc. & Cler. it. Oldrad. Conf. 83. num. 3. seq. sed ad rem ipsam respicitur, quæ de personæ priuilegio nihil participat, vid. cap. Volentes. 1. X. de priuileg. in 6to. Cap. Licet. vlt. X. de for. comp. Auth. Clericus. C. de Episc. & Cler. l. fin. C. vbi in rem act. Brunn. in Comment. Cod. ad hanc legem. num. 8. Richt. P. 3. dec. 102. num. 30. it. dec. 105. num. 58. Klock. Vol. 1. Conf. 10. num. 176. seq. Vol. 2. Conf. 54. num. 17. seq. Schilt. in prax. Iur. Rom. quæst. for. de foro priuileg. post tit. de Iudic. pag. 420. Carpz. in Ispr. Conf. lib. 3. def. 7. & dec. 217. n. 8. seq. Gail. lib. 1. Obs. 37. n. 3. seq. it. de pignorat. c. 7. n. 2. Mynsing. C. 1. Obs. 22. n. 2. & 3. Cent. 4. Obs. 95. Struu. in S. I. Ciu. ex. 9. th. 59. Brunn. in I. Eccl. l. 3. c. 1. §. 27. Couarr. pr. quæst. cap. 31. Mindan. de process. l. 1. c. XI. n. 13. Duaren. in tit. 1. C. vbi & apud quem in integr. & c.

§. XVII. Propter causam feudalem (10) clericus quoque fortitur forum laicorum, quia natura causæ trahit ad se personam



nam, non persona naturam causæ: causæ vero feudales singulare habent iudicium, ita, vt vel dominus feudi laicus, adhibitis nonnunquam Paribus Curiaë, vel Pares Curiaë seculares iudices sint. *Cap. Ex transmissa. 6. & Cap. Verum. 7. X. de for. comp. Cap. Ceterum. 5. X. de Iudic. Struu. in S. I. F. cap. XVI. th. 4. seq. & cap. 1. th. 7. n. 9. Illustr. Dn. Stryk. in E. I. F. c. 25. qu. 1. seq. Richt. in Comment. ad cit. tex. Iur. Can. de for. Comp. Zanger. de except. p. 2. cap. 1. num. 301. Gail. lib. 1. Obs. 37. n. 3. Mindan. de process. lib. 1. c. XI. num. 12. nisi feudum sit ecclesiasticum, tunc enim propter naturam negotii iudicat Præsul illius ecclesie vel capitulum.*

§ XIX. Propter connexitatem causarum clericus (n) quoque coram magistratu seculari ac proxime superiore, non obstante priuilegio & exemptione sua, se sistere tenetur, ne scil. actor diuersis litibus distrahatur, & licet alias, vtisupra §. 7. ex Carpz. adduxi, communis dicatur opinio, quod dignior persona indigniore, & per consequens clericus laicum ad suum iudicium in communi causa attrahat; rectius tamen hoc in singulare præiudicium & contemptum politici magistratus inuentum, ac per errorem aliquandiu obseruatum, hinc merito iterum negligendum & abrogandum esse censet P. Friderus Mindanus, in *ir. de Continentia caus. cap. 4. num. 20. seq. cap. 3. num. 22. seq.* Etenim concessum est in iure nostro, vt actor propter multitudinem rerum aut personarum, diuerso magistratui subiectarum, possit, omisis inferioribus magistratibus, proxime superiorem omnium implorare, idque ad abbreviandas & præscindendas lites saluberrime introductum, ne necesse habeat actor, actionem suam, vti alias deberet, in pluribus iudiciis instituere. Nam laicus conuentus coram Consistorio, æque ac clericus in iudicio seculari, inçmpetentis fori exceptionem illico opponeret; superius autem iudicium, quum vtrique personæ competat, declinare hoc modo non facile possunt. Ast quoniam in quorundam territorii, v. gr. in terris Principum Romano Catholicorum duo suprema capita existunt, quorum alterum Pontifex in spiritualibus, alterum au-



autem Princeps in temporalibus separatim repræsentat, manifestum est, quod in eiusmodi ciuitatibus commune iudicium, tam clerico, quod laico superius, non inueniatur, adeoque ad illud propter continentiam atque coniunctionem causarum pro-uocari nequeat. Quumque igitur causæ vel a seculari, vel ab ecclesiastico iudice inferiore dirimendæ, mirandum sane non est, quod Canonistæ ecclesiasticum iudicium hoc in casu etiam seculari prætulerint, quum ex illorum hypothesi clerici non possint a laicis iudicari, & magis deceat laicum, vt sequatur clericum, eo multo digniorem, quam vt clericus laicum sequatur. Ex quibus omnibus patet, haud inique sententiam illam improbatam esse a Mindano *cit. l. Cui ad stipulatur Illust. Dn. Stryk. in V. M. ff. tit. Quibus rebus ad eund. iud. cat. §. 7. Lauterb. in Comp. iur. tit. eod. alii- que allegati a Menochio in tr. de A. Iud. Quest. cas. 371. n. 13. in f.*

§. XIX. Subiicitur etiam clericus (12) ciuili magistratu propter prorogationem ICtionis. Est autem prorogata ICtio vel necessaria, vel voluntaria, prior fit per reconuentionem, ac posterior per renunciationem; de vtraque specie separatim iam pluribus. Et primo quidem clericus actor quo minus coram iudice laici conuerti reconueniatur, nulla fori præscriptione vel priuilegio se tueri potest, quem enim quis pro se iudicem agnouit, eundem quoque contra se approbasse censetur, hinc actor reconuentus non potest vti exceptione incompetentiæ &c. *l. 22. ff. de iudic. Mindan. de continent. caus. cap. 6. num. 9. seq. Illustr. Dn. Præses ad Straub. d. ff. 24. th. 10. p. 356. Huber. in prælect. ad ff. tit. de quibus rebus ad eund. iud. cat. §. 4. Gail. lib. 1. Obs. 37. n. 6. Mynsing. Cent. 2. Obs. 67. n. 7.* Aliter tamen hæc assertio non procedit, nisi ordinaria reconuentionis requisita concurrant v. gr. quod iudex laicus de causâ reconuentionis cognoscere possit, de causâ enim ad causam prorogatio non valet, quum reconuentionis tantum priuilegium personæ, non autem ipsius causæ tollat. *Finckelth. de iur. Patron. cap. 8. num. 12. & 13.* Quarum itaque causarum cognitio iudici concessa non est, illarum intuitu etiam ICtio eius prorogari

ne-



nequit, vid. *l. f. ff. de ICtione*. Zanger. *de Except. p. 2. cap. I. n. 374. seqq.*

§. XX. Alter modus prorogandi ICtionem fit, vti dictum, per voluntariam iurium abdicationem. Hunc autem modum licitum esse in iure, apparet ex *l. 14. ff. de ICtione*, vbi dicitur, receptum esse, vt si quis maior, vel æqualis subiiciat se ICtioni alterius, possit ei, & aduersus eum ius dici. Ita in genere decisum est in Iure Ciuili. An idem quoque in Clericis? negant id Canonistæ. propter *Cap. Si diligenti. 12. & Cap. Significasti. 18. X. de for. Compet.* & propter multas quidem, sed futiles ac nullius pretii rationes, quas vide apud Richterum in *Comment. ad Cit. textus Iur. Canonici*. Haud incongrue igitur in terris Euangelicorum hanc Doctores admittunt renunciationem, quia (1) quilibet potest fauori pro se introducto renunciare, *l. Si quis 51. C. de Episc. & Cler.* etiam si intuitu sacerdotii concessus sit, per *l. pen. C. de pact. & Cap. Si de terra. 6. X. de privileg.* Et licet (2) hoc priuilegium ordini sit concessum, concessum tamen est non ordini solum sed simul singulis, quodiunque vero vniuersis ac singulis est concessum, eidem potest per singulos renunciari. Ziegl. *ad Lancell. lib. 3. tit. §. 4. ad verba: pactionibus priuatorum*. Quo (3) simul corrui alia ratio, quod priuatorum pactis iuri pbl. non possit derogari. Clericus enim renunciando priuilegio fori toti ordini non præiudicat, sed sibi tantum, quatenus enim hoc beneficium in fauorem singulorū simul introductum, eatenus quoque illi licite possunt derogare. Illustr. Dn. Stryk. *ad Brunn. I. Eccl. lib. 3. cap. 1. §. 12. ad verba: Et prohibentur clerici &c.* Schilt. in *Iustit. Iur. Can. lib. I. tit. 18. §. 9.* Dn. Linck. *de Iur. Episc. cap. XI. num. 70.* & Idem omn. in *Comment. ad Decretal. tit. de for. comp. §. 3.* Ex eodem fundamento liquet etiam clericum (13) posse a laico iudicari eo in casu si in arbitrum laicum libere consensit. vid. Gail. *lib. 1. Obs. 37. num. II.*

§. XXI. Quod delicta (14) clericorum attinet, Consistorium cognoscit de leuioribus delictis omnibus, quæ pœnam arbitrariam, suspensionem remotionem carcerem, mulctam aut aliam censuram ecclesiasticam merentur, aut si quid grauius

com-



commiserunt clerici, quod pœna corporis afflictiva aut plane capitali puniendum, quoad generalem inquisitionem plerumque adhuc cognoscit ecclesiasticum iudicium, in qua si clericum non in fontem deprehendat, remittit eum ad magistratum secularem, ut hic specialem inquisitionem contra eundem instituat, ac condigna pœna eum tandem afficiat; ecclesia enim a sanguine abhorret, iuxta c. 5. §. 9. X. de cler. & monach. Regulariter itaque neque in leuioribus neque in grauioribus clericorum delictis seculari iudici cognitio competit, nisi impetrata prius a Confessorio licentia, ut vel ulterius crimen admissum inuestiget, vel latam sententiam exsequatur, vid. Carpz. in *Ispr. Conf. lib. 3. def. 5.* Theodorici *Criminalia cap. X. num. 20. seq.* Brunn. in *I. Eccl. lib. 3. c. 1. §. 20. it. in proc. inquis. cap. 10. num. 17.* Dn. Linck. de *I. Episc. cap. XI. n. 69.* Schilt. in *Inst. I. C. lib. 1. tit. 18. §. 7.* Ita communiter obtinet; Rectene vero clerici in criminalibus exempti sint a laico magistratu, vel non? eleganter disquirat ac negat Zieglerus, quia reatus omnem dignitatem, omneque priuilegium exuit, & quia multum interest reipubl. ne delicta maneant impunita, cit. Dn. Ziegl. ad *Lancell. l. 3. tit. 2. §. 6.* ad quem me breuitatis causa remitto. Ceterum ipsi Doctores Pontificii multas exceptiones ab hac regula adducunt, v. gr. si clericus delinquens in habitu laicali fuerit inuentus, dicunt, eum posse a iudice seculari puniri, item si crimen fuerit enormissimum, vti est assassinii, &c. de quibus exceptionibus vid. Menoch in *tr. de Ictione lib. 2. cap. 20. pag. 160. seq.* Conf. Theodorici *Criminalia cap. 10. num. 21. seq. it. cap. 4. num. 16. seq.*

§. XXII. Coronidis loco paucis quæro adhuc, (15)  
quale forum clericus in cambialibus causis fortiat? R.

G

Confi-



Confitorium, quia subest personalis obligatio, in personali-  
bus vero regulariter clericus coram Confitorio convenien-  
dus, nisi aliud forsan consuetudine receptum sit, de quibus vid.  
D. Ziepfel. von Wechsel-Brieffen sect. i. pag. 22.

§. XXIII. Hæc sunt, Lector Beneuole, quæ de hac ma-  
teria differere institui; quod si me in quibusdam adhuc er-  
rasse deprehendes, cogites, me esse hominem, adeoque nihil  
humani a me alienum putes. Deo autem ter O. Max., cuius  
ope feliciter omnia ad finem perducta, & cuius diuinæ  
gratiæ futuros meos labores quam humillime com-  
mendo, sit laus, honor & gloria  
immortalis.

FINIS.







NOBILISSIMO ET CLARISSIMO  
DOMINO CANDIDATO SVO

S. P. D.

PRÆSES!



Egi disputationem tuam inaugu-  
ralem de subiectione Cleri-  
corum sub potestate Civili eo-  
rumque foro competente, eam-  
que tibi reddo, uti eam mihi  
exhibuisti. Neque enim, quod  
mutatione aut correctione opus haberet, de-  
prehendi. Quin potius tibi de specimine tam  
erudito diligentiae & profectuum tuorum animi-  
tus gratulor, ac ut mox fructus uberes colligas vi-  
tae haectenus in Academiis tam laudabiliter pera-

G 2

ctae



Etæ, sincere apprecor. Cogitabam equidem non-  
nulla dissertationi tuæ addere de origine ac pro-  
gressu Consistoriorum in terris Principum Prote-  
stantium, ex magis genuinis fontibus iurispruden-  
tiæ pariter ac doctrinæ civilis, quam vulgo  
facere solent, qui de hac materia in scriptis &  
tractatibus editis disseruerunt. Volebam & cau-  
sas exponere, cur in civitatibus quibusdam impe-  
rialibus Evangelicæ religioni addictis Consistoria  
non sint in usu. Sed impediverunt me labores a-  
lii, qui seponi ad tempus non poterant, ut medi-  
tationes istas in chartam conicere & dissertationi  
tuæ adiicere mihi non licuerit. Quare tu ipse for-  
fitan in secundis curis his & similibus observati-  
bus theses tuas auctiores reddes. Vale interim, &  
quod hucusque præsens fecisti, etiam in posterum  
absens me amare perge. Dabam d. 24. Iunii  
anni 1709.

Ingra-



**I**ngratas postquam terras Astræa reliquit,  
Iurgia mortales impetuosa trahunt :  
Discordant calidi Proceres, plectuntur Achiui :  
Venditor atque emtor litis amore furunt :  
Lis agitat Clerum, & sacro se corpore miscet,  
Deque suo Clerus litigat usque foro.  
Hunc tam perplexum solvis, Doctissime, nodum,  
Atque noua solers tendis ad astra via :  
Applaudo, & voueo : Cœptis adspiret Olympus,  
Et studiis reddat præmia digna tuis !

**SAMVEL STRYKIVS, IC.**

PRÆNOBILISSIMO DN. CANDIDATO  
S. P. D.

*IACOBVS FRIDERICVS LVDOVICI, P. P.*

**R**eqviritur præcipue a Juris Candidatis, qui ad  
summos honores sese admitti petunt, ut cur-  
sum, quem vocant studiorum suorum probe ab-  
soluerint. Tempus absolvendo huic cursui præ-  
finitum olim quadriennium erat, in cuius locum  
Iustinianus in Constitutione de ratione & metho-



do iuris docendi ad Antecessores quinquennium  
substituit, hodie triennium habemus, si quis ad  
Canonicatum adspirare velit, de cetero certum  
terminum non observamus. Neque etiam tali  
termino in universum opus esse existimo, alii e-  
nim ante legitimum etiam tempus rationem be-  
ne constitutam & eruditionem bene firmatam ha-  
bent, aliis vero etiam id supergressis mens non-  
dum stabilita est, nec eruditio obtigit. Ergo ad  
ingenii alacritatem huicque coniunctam assiduita-  
tem primario respiciendum, & iuxta hæc tempus  
ita determinandum, ne dicente Petronio, cruda  
adhuc studia in forum impellamus. Præsumptio-  
nem operatur, vixisse in Academia celebri: viros  
celeberrimos audivisse: per multos annosibi sub-  
stitisse: libros utiles sibi comparasse, & quæ sunt  
similia; sed præsumptio solum est, quæ per con-  
trarii probationem eliditur. Olim pro omni ex-  
perimento ad commendandam artis autoritatem  
Medico suffecisse dicit Ammianus, si Alexandria  
se dixerit eruditum; sed tamen Iustinianus se audi-  
visse asserit, quod etiam in Alexandria splendi-  
dis-




diffima civitate homines imperiti devagentur, & doctrina discipulis adulterina tradatur. Multi per multos annos etiam in Academiis ignaviaelitant: alii mox recedunt, reapse currentes, ut nomen & omen habeant: multi nitentes libros eosque multos possident, sed in eorum interiora non penetrant, quibus vetustum illud iure occini potest: *si tua charta cadat, secum sapientia vadat.* Quid de Te nunc dicam, doctissime Candidate? Vixisti in Academia celeberrima: Viros illustres, qui famam eidem iam dudum conciliarunt, assidue audivisti: per multos annos cursum tuum continuasti: non solum vero audivisti, sed etiam intra parietes tuos euoluendo, repetendo, meditando, tempus consumsisti. Neque pro te praesumptio solum militat, sed plena in promptu adest probatio. Testis esse possem de eruditione tua, quam in collegiis privatisimis, iisque disputatoriis & examinatoriis, per integrum fere biennium mihi comprobasti plenissime: sed tu quidem meo testimonio, tanquam priuato, non indiges, postquam illustris Facultas Iuridica in examinibus consvetis talem te deprehendit, qui dignis Candidatis meri-



merito accenseretur. Nancisceris adhuc plurimos alios testes, qui te pro Licentia, ut vocant, disputaturum videbunt. Videbunt, inquam, quia certus sum, neminem tibi tritum illud: *loquere, ut te videam*, occinere posse. Nihil ergo addo, quam ut tibi & tuis de studiorum cursu feliciter peracto ex animo gratuler. Abi hinc bonis avibus, memineris tamen eius, qui & sibi de tali consalino, inquilino & auditore gratulatur. DEUS, quem sincere colis, omnibus tuis ausibus gratiam suam uberrime impertiatur. Sine illo enim nihil possumus. Vale Amice integerrime. Dabam ex Museo in Academia Fridericiana

d. XXIV. Iunii, A. O. R.

M DCC IX.





00 A 6383

ULB Halle 3  
002 916 681



8


U 7 77











DISPVATIO INAVGVRALIS IVRIDICA,  
DE 17  
**FORO COMPETEN-**  
**TE ET SVBIECTIONE**  
**CLERICORVM SVB POTE-**  
**STATE CIVILI,**

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSLÆ, MARCHIONE BRANDENBYRGICO,  
ET DVCATVS MAGDEBYRGICI GVBERNATORE,  
&c. &c.

*Auctoritate atq; consensu inchoate Facultatis Iuridicæ,*  
PRÆSIDE,

PRO-RECTORE MAGNIFICO,  
**DN. CHRISTIANO THOMASIO, ICTO,**  
POTENTISS. REGIS BORVSSLÆ, AC REVERENDISS. ET SE-  
RENISS. DUCIS SAXO-NUMBURGENSIS CONSILIARIO RESPECTIVE INTI-  
MO, PROF. IUR. ORDIN. ET FAC. IURID. h. t. DECANO,  
**PATRONO SVO SVMMÆ DEVENERANDO,**  
IN ALMA FRIDERICIANA  
**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN VTROQUE IURE HONORES, AC DOCTORALIA PRIVILEGIA  
RITE ADIPISCENDI,

IN AVDITORIO MAIORI  
horis ante- & pro-meridianis d. Iunii M. DCC. IX.  
*placido eruditorum examini submittis*

AVCTOR

**IOANNES STARCKE,**  
Magdeburgensis.

HALÆ-MAGDEBURGICÆ, TYPIS IOH. MONTAGII, ACAD. TYPOGR. (17)